15

EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. IGNATII LOYOLÆ,

Cum

SENSU EORUMDEM EXPLANATO,

À

P. IGNATIO DIERTINS Bruxellensi, è Societate IESU.

Editio Explanationibus tertia, recognita & aucta.

POSNANIÆ,
Typis Collegii Societatis IESU.
M. DC. XCII.

PRÆFATIO
AUCTORIS EXPLANATIONUM,
AD PATRES AC FRATRES
SOCIETATIS IESU,
De Libro Exercitiorum, & de consilio suæ scriptionis.

V*Os enim, Patres ac Fratres religiosissimi, decet à me potissimùm cōpellari, quibus per S. Fundatorem nostrum, Deus, singulari prorsùs beneficio, donavit* admirabilem illū Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum : *sicut legitur in eius officio. Non ego vos iam accinctos, vel ad tradenda aliis, vel ad peragenda per vosmetipsos Exercitia, multùm morabor, excurrendo in laudes libri illius verè admirabilis. Legi potest Proœmium Directorii,* de dignitate, & utilitate Exercitiorum.

Vnum modò dicam: Studium rerum spiritualium, quod Congregatio Generalis, II. *Decreto* 30 *vocavit* animam *Societatis, illo ferè libro contineri. Spiritus, inquàm, ille, non qualiscumq; sed qui quasi cælestis thesaurus in libro isto latet absconditus, & perpetuo studio assiduâq; exercitatione erui debet, est* anima, *quâ vivit, cōservaturq; hæc societatis corpus vniversum: stabitq; invicta hæc IESV cohors quamdiu spiritualia arma in illo libro tradita peritè tractabit. Hinc vires, animiq; quibus*

Deo Ecclesiæq; hæc minima familia tam egregiam operam adhuc navavit, & tam illustres de Orco victorias reportavit. Hoc spiritu (qui ut suis locis videbitur, in tertio humilitatis gradu præcipuè cōsistit) si quod mēbrum destitutū fuerit, illud mox corpori inutile fiat, & tandē marcescat, putrescat, & à reliquis membris avellatur necessè est. Eiusmodi enim membrum plus perturbationis, & doloris, quàm pacis & gaudii cæteris afferret. Quapropter tempus illud, quod studio libri Exercitiorum conceditur, non minori in pretio esse nobis debet, quam salus & vita, tum omnium, tum singulorum.

Porrò ad studium illud magis promovendum, propositum nobis est partes singulas, prout in libello Exercitiorū à S. P. N. digestæ sunt, eodem omninò ordine persequi. Placet enim hic scribendi modus pre eo, quem pleriq; adhuc tenuerunt: qui S. P. Nostri vestigiis non tam arctè inhæserunt: sed seriem ordinemq; rerum paulò aliter disposuerunt: neq; res ipsas omnes attigerunt; sed cum delectu quasdam susceperunt illustrandas. Vidimus etiam, qui alias res, alias præceptiones, aliaq; quædam principia immiscuerint, eaq; minùs accommodata ad id, quod S. P. N. vult consulere.

Nolumus quidem improbare eorum consilia, sed laudare potiùs. Attamen modus quem instituimus tenere, aptior visus est, ad assequendam libelli illius divinitùs nobis dati veram germanamq; intelligentiam: & minùs periculi in eo inest, aberrandi à mente S. P. Nostri, quando identidem revocamur in viam, & à contextu ipso non discedimus; imitantes morem Interpretum sacrarum Paginarum, qui historicum, vel, ut alii loquūtur, literalem earum sensum inquirunt.

Quam-

Quàmvis verò res ipsæ eiusmodi sunt, ut & ex sacris Literis, & ex sanctis patribus, atq; adeò ex Philosophicis, Theologicisq; disciplinis illustrari & amplificari mirificè possint: nos tamen longis sermonibus subtilibusq; quæstionibus supersedendum esse duximus. Scimus enim libri illius hoc esse proprium, quòd ad agendum magis, quàm ad legendum factus sit. Itaq; haud minùs brevitati, quàm ordini S P. Nostri studuimus. Quare nonnumquam satis nobis est, indicare, ubinam in Directorio locus tractetur: brevissimè tamen delibabimus nonnulla: sic nos id consecuturos confidimus, ut prægustato Directorio, unusquisque avidiùs ad illud perlegendum accedat.

Quia etiam S. P. Nostri sincerus præcipuusq; sensus nobis tantoperè cordi est: idcircò eumdem non aliis, quàm propriis ipsius verbis conamur sæpè exponere: curæ tamen nobis non fuit, locum unde, deprompta sunt, indicare. Persuasum enim nobis est, libellum illū aureum, ita omniū vestrûm manibus terendum, ut nihil ex eo proferri possit, quod non illicò possitis digito demōstrare.

Sanè quoties Exercitiis spiritualibus vacatur, semper libellus ille in manibus debet esse, ex eoq; Exercitia ipsa petenda. Nam puriùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Quin imò laudandum hoc loco est, quorumdam consilium, qui etiam per decursum anni, extra tempus, quo vacatur sanctis illis Exercitiis, quamvis utantur aliis ad meditandum libris, solent tamen per intervalla, veluti, septimanis singulis vel alternis, intermiscere unam ex capitalibus meditationibus istius admirabilis libelli. Quo fit, ut cæteræ meditationes etiam aliunde desumptæ

imbuantur facile spiritu illius libelli, hoc est, proprio & præcipuo spiritu societatis nostræ.

Testatur autem Directorium Cap. 5. §. 7. quòd quædam sunt *in eo* brevissimè dicta, quæ magnum pondus habet, & ignorata aut prætcrita damnum afferunt: *idcircò, præter Directorium, quod iuverit etiam in promptu habere, en exiguum hunc brevemq; Commentarium, per quem lucis nonnihil afferre conamur. In quo sicubi à mente S. P. N. aberraverim, id enimverò meum est, & à Vobis, Patres, Fratresq; Religiosissimi, corrigendum. Cætera mea non sunt, sed ei, à quo profecta sunt,* Deo *scilicet in primis, tum S. P. Nostro, qui, Deo Auctore, admirabilem illum librum ad posteros transmisit; partim etiam iis, à quibus nonnulla mutuati sumus, erunt adscribenda. Valete in Domino.*

EIUS-

EIUSDEM AUCTORIS

ALLOCUTIO,

De Coniunctione hujus Explanationis cum ipso Libro Exercitiorum S. P. Nostri,

AD PATRES & FRATRES

Provinciarum Societatis IESU in Universo Poloniæ Regno.

Bis typis vulgata fuerat hæc EXPLANATIO. Primùm in Belgio Anno 1687; tum in Prussiâ Anno 1691, beneficio Perillustris ac Reverendissimi Domini, D. MICHAELIS ANTONII HACKI, Abbatis Olivensis, & quidem eiusdem Abbatiæ Typis; qui ad majora sua in Societatem nostram merita, hoc quoq; adiicere dignatus est, & quasi pignus dare suæ in nos benevolẽtiæ. Verùm prodiit utrâque vice EXPLANATIO sejuncta à Principe opere cui debebat servire.

Quia autem inde rarior poterat esse usus, vel libri Exercitiorum S. P. Nostri, vel hujus Explanationis, quòd alterutrius copia nonnumquam deesse posset; ac certè usus erat incommodior, cùm ab alio, ad alium codicem, toties transire esset ne-

eſſe; en tandem per tertiam editionem omnibus, cum hac Explanatione, quam recognovimus, & variis locis auximus, in manibus ponitur ſimul ipſe Liber Exercitiorum.

Exiſtet hinc, uti confido, vobis gratior ac facilior, adeoq; frequentior uſus cœleſtis iſtius Libri S. P. Noſtri. Atq; ità ſatisfiet Regulæ 7. Sacerdotum, quà præcipitur, ut horum *Exercitiorum Spiritualium - - - uſum* VALDE FAMILIAREM habeant. Satisfiet item Regulæ 4. Præfecti rerum ſpiritualium, ubi ipſi præſcribitur, ut *det operam, ut orandi, & meditandi modos, quos docuit P. N. Ignatius in Libro Exercitiorum, retineant, & ut illo Libro* FAMILIARISSIME *utantur.* Satisfiet denique Conſtitutioni S. P. Noſtri p. 4. c. 8. §. 5. ubi vult, ut noſtri, *ad exercitia ſpiritualia aliis tradenda, poſtquam quiſq; in ſe ea fuerit expertus, aſſueſcant; & dent operam omnes, ut - - - in hoc armorum ſpiritualium genere tractando - - - dexteritatem habere poſſint.*

Video equidem hæc ad omnes pertinere Societatis homines, ad Vos tamen, Reverendi Patres ac dilectiſsimi Fratres, quos in Poloniâ, in magno Lithvaniæ Ducatu, cæteriſq; vaſti hujus Regni Provinciis, tam ſtrenuè *ſub Crucis Vexillo* (loquor cum S. P. Noſtro, in Regulâ Societatis oblatâ Paulo III. & Iulio III. Pontificibus) *Deo militare, & ſoli Domino ac Eccleſiæ ipſius ſponſæ, ſub Romano Pontifice, Chriſti in terris Vicario ſervire* conſpicimus; ad vos, inquam, Libellus hic cum hac Explanatione nunc primùm excuſus nominatim dirigendus eſt.

Poſtu-

Postulat id jus aliquod, vel vestrum, vel meum ? Quia enim non pauci vestrûm dum Collegia, ex munere mihi imposito à Præposito Generali Societatis visitarem, exemplaria à me exigebant illius, tam vobis necessarii Libelli, vos occasionem non parvam præbuistis, ut de illo recudendo, junctâ Explanatione meâ cogitarem. Æquum verò est, ad illos inprimis redire fructum operis, quod ipsis quodammodò agentibus ad commune bonum, curatum est. Mihi verò succensere nemo poterit, si vos nominatim compellem, quibus officio & consuetudine religiosâ, & loco ac habitatione cõjunctus sum, hoc ipso tempore.

Multis nominibus Provinciæ meæ Flandro-Belgicæ obstrictus sum, cui propterea voveo propensissimâ voluntate omnem à Deo felicitatem, & à Patre cœlesti spiritum bonum per hæc Exercitia S. P. Nostri explanata. Patietur tamen illa, scio; nam novi eximiam eius in omnes charitatem, quæ *non æmulatur*; patietur, inquam, ut Provincias has, in quibus nunc versor, munusculo hoc arctiùs stringam & complectar.

Meretur id sanè ista ad virtutem quasi facta indoles, atq; ad Exercitiorum S. P. Nostri spiritum incitata mens, quam in Vobis Reverendi Patres, & dilectissimi Fratres, non tantùm perspexi, sed cum magno meo solatio, & disciplinæ Religiosæ commodo, expertus sum. Comperi videlicet, quòd Provinciæ hæ abundent viris, qui (ut iterum cum Literis Apostolicis loquar) sunt *omninò humiles, & prudentes in Christo*. Illa autem humilitas

 & pru-

& prudentia in Christo, quam S. P. Noster, & Vicarii Christi in Professis nostris exigunt, non aliunde in vobis nata est, quàm ex meditatione, & tractatione frequenti illius admirabilis Libri.

Quot ego ex hisce Provinciis viros, non ingenii modò & doctrinæ laude, sed quod summum est, & sine quo cætera minùs valent, etiam Apostolicarum virtutum omnium genere ornatos recensere possem! Hæc tam eximia vestra probitas & religio, quamvis uberes fructus pariat in Collegiis, & præclaras nacta sit intra Regnum Missiones, non potuit tamen Regni finibus contineri. Confines heterodoxorum, Moschorum, & Schismaticorum provincias, Constantinopolim, Scythiam, Orientem, vestro sudore: Iaponiam (ut plura sileam) sanguine etiam vestro irrigâstis. Et ut ad rem, quam agimus, accedam propiùs; quàm multi in studio Exercitiorum spiritualium promovendo, tum lucubrationibus suis, tùm verbo & exemplo, egregiam planè operam posuerunt! Longa mihi series texenda esset, si tot, tantosq; viros vellem singillatim nominare; neque id patitur brevitas, cui studeo. Amplam Annalibus nostris materiam præbebunt res heroicæ ab illis gestæ, pro Deo, pro Ecclesiâ, pro animarum salute, posteritatis memoriâ dignissimæ.

Unum tamen NICOLAUM LANCICIUM Societatis nostræ in hoc Regno magnum nomen, non reticebo: qui tanto zelo incitabatur multos excolendi asceticis exercitationibus S. P. Nostri, ut ne in itineribus quidem ipsis, ab hoc tam fru-

ctuoso

ctuoso negotio cessaret. Narrabat mihi P. FRIDERICUS de TASSIS, vir ab administratâ Provinciâ Flandro Belgicâ, & à sincerâ Religione conspicuus, cùm rediens è conventu Generali unà cum P. LANCICIO per Italiam iter faceret, vidisse se in comitatu ipsius quosdam externos, quos P. NICOLAUS spiritualibus commentationibus, quotidie imbuebat. Sic exercitia corporalia, inter quæ S. P. Noster Annot. 1. inter 20. ponit *iter facere*; cum spiritualibus, quæ S. P. Noster ibidem cum corporalibus comparat, insigni P. LANCICII industriâ, eodem tempore conjungebantur.

Vivit etiamnum in Provinciis vestris Reverendi Patres, vivetq; illa Majorum Vestrorum virtus, Sic ut fateri debeam, si quid ad Societatis bonum, dum hic versor, operâ meâ gestum est, id secundùm Deum, Vestris consiliis, Vestro studio, Vestro pro gloriâ Dei zelo adscribendum esse. Ità nimirùm Vos ad Societatis spiritum conservandũ, & amplificandum animatos reperi, ut à Vobis, ad Societatis rem procurandam impelli quodammodo me sentirem. Quo nomine, plurimùm me Vobis debere agnosco. In aliquod igitur gratitudinis signum, mea hæc, quamvis brevis, & meritis Vestris inferior, de Vestrâ insigni virtute testificatio, quam ex animi mei sententiâ depromo, eat, quocumq; demum terrarum, hæc mea lucubratiũcula perventura est.

Oro Divinam clementiam, ut illos cœlestes ardores in Vobis foveat, ac luculenter incendat; quod haud dubiè faciet, si in studio Libri Exerci-

tiorum

tiorum S. P. Nostri toti stris; & generoso ac perpetuo cursu enitamini ad tertium illum humilitatis gradum, ad quem nos invitat S. P. Noster, & in quo latet sincerus Societatis spiritus, intimaque ejus medullas qui denique, ut cum Philosophis loquar, est quasi *Objectum attributionis* istius admirabilis Libri, in quo traditur mystica illa Theologia, cuius *Scientia* non *inflat*; sed animum septem donis *Spiritûs Sancti* exornat, atq; duodecim eiusdem *Spiritûs* suavissimis fructibus nutrit & satiat; quos dum Vobis uberrimos voveo, Valere mei memores in SS. Sacrificiis, & orationibus Vestris.

Reverentiarum, ac Charitatum
Vestrarum

Servus in Christo,

IGNATIUS DIERTINS.
Societatis IESV.

Pro

Pro hac tertiâ Editione:

FACVLTAS

R. Adm. P.N. PRÆPOSITI GENERALIS Societatis IESU.

THYRSUS GONZALEZ

PRÆPOSITVS GENERALIS

Societatis IESV.

Cùm Librum, cui titulus est, *Sensus Exercitiorum Spiritualium* S. P. IGNATII LOYOLÆ *Explanatus*, Auctore P. IGNATIO DIERTINS nostræ Societatis Sacerdote, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, si iis ad quos pertinet ità videbitur, vt ad commoditatem Religiosorũ Societatis nostræ, qui eo uti voluerint, typis mandetur unà cum Exercitiis spiritualibus S. P. IGNATII, propriis quibusque locis adhærente sua explanatione, diverso charactere, & inviolatâ ubique formâ Eorumdem Exercitiorum. Cuius rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 4. Augusti 1691.

THYRSUS GONZALEZ.

Locus (✠) *Sigilli.*

APPROBATIO DIOECESANA
Epiſcopatûs Poſnanienſis.

AUreum Libellum Exercitiorum Spiritualium cæleſti partu IGNATIANI ſpiritûs Sanctiſſimi Protoparentis & Patriarchæ Divi IGNATII LOYOLÆ Magnæ Societatis IESU Fundatoris, in publicum editum, oraculis ſummorum Pontificum approbatum, Chriſtiani Orbis vtilitati accommodatum; nunc verò, ad mentem eiusdem S. P. IGNATII locupletiùs explanatum, Authore R. A. in Chriſto Patre IGNATIO DIERTINS Societatis IESU Theologo, per Maiorem & Minorem Poloniam, nec non Magnum Ducatum Lithuaniæ Viſitatore, vt in noſtrâ Poſnanienſi Diœceſi reimprimatur, digniſſimum cenſeo. Die 14. Iunii, Anno 1692.

STEPHANVS MORESKI S. T. D.

Canonicus Cathedralis, & D. Mariæ Magdalenæ Collegiatæ Eccleſiæ ac Parochialis Poſnanienſis Præpoſitus, Librorum per Diœceſim Synodalis Cenſor.

EXER-

EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. IGNATII LOYOLÆ.

Cum

SENSU EORUMDEM EXPLANATO.

Quæ habent præfixum signum hoc ☞ usq; dum clauduntur signo hoc], noveris ea convenire potissimùm ijs, qui alios etiam instruunt, & excolunt hisce Exercitijs.

---

†

A ANima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O bone IESV exaudi me: intra tua vulnera absconde me: ne permittas me separari à te: ab hoste maligno defende me: in horâ mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLANATIONES

Ad Exercitia Spiritualia

S. P. IGNATII LOYOLÆ.

As DE hoc admirabili opere S. P. Nostri, sic loquitur ORLANDINUS historiæ Societatis lib 8. n. 2. *Isq; primus faustissimo sanè initio Societatis impressus est Liber.*

PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

PASTORALIS *Officii cura, in universum Christi gregem nobis commissa, & divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea quæ salutem animarum, & spiritualem earum profectum iuvant, amplectentes, vota eorum qui aliquid, quod fovere & nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, à nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo (sicut dilectus filius, nobilis vir, Franciscus de Borgiâ, Dux Gandiæ, nobis nuper exponi † fecit) dilectus filius* IGNATIUS de LOYOLA, *Præpositus Generalis Societatis IESV, per nos in alma Vrbe nostrâ erectæ, & per nos auctoritate Apostolicâ confirmatæ; quædam documenta, sive exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit, & in ordinem, ad piè movendos fidelium animos, aptissimum redegerit; illaq; Christi fidelibus, ad spiritualem consolationem, & profectum magnoperè utilia & salubria esse, non solùm famâ, ex plurimis locis allatâ, prædictus Franciscus Dux didicerit;* A

A † Anno scilicet 1546, ut tradit ORLANDINUS lib. 6 n. 75. ita ut post tempus lõgum maturæ examinationis, secũdo à supplicatione Ducis anno, prodierit Apostolica approbatio, & commendatio; videlicet die ultimo Iulij, Anni 1548.

Addit ORLANDINUS, quòd ab eodem Pontifice, *Dux Borgia impetravit, ut quisquis* ijs

sed

sed etiam experimento manifesto, cùm Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta, & spiritualia exercitia prædicta, quò latiùs eorum fructus pateat, & plures Christi fideles, maiori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere: & si approbatione & laude digna inveniremus, approbare & laudare, aliasq; in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & Exercitia huiusmodi examinari fecimus, & quæ testimonio ac relatione dilecti filii nostri Ioannis Tit. S. Clementis, Presbyteri Cardinalis, Burgensis Episcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris, & venerabilis fratris nostri Philippi Saluciarũ Episc. ac dictæ Vrbis nostræ in spiritualibus Vicarii generalis, nec non dilecti filii Ægidii Foscararii, nostri Sacri Palatii Magistri, nobis desuper factâ pietate ac sanctitate plena & ad ædificationẽ & spiritualẽ profectũ fidelium valdè utilia & salubria esse & fore comperimus; debitum

ijs (Exercitiis) uteretur, & inter eas esset exercitationes, universæ vitæ peccata confessus, is pro Apostolica mãsuetudine cunctis noxis eximeretur.

Hujus Pontificis animum benignum in hæc Exercitia, secutus Alexander VII. in literis Apostolicis datis 12 Octobris 1657 sic loquitur: *Nos qui probè scimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illâ Christi fidelium mentibus - - -. omnibus & singulis Christi fidelibus, tam prædictæ Societatis, aut cujuscumq; alterius ordinis, & Congregationis Regularibus; quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis & Laicis, qui in domibus memoratæ Societatis Exercitia pra-*

prædicta, juxta laudabilem eiusdẽ Societatis consuetudinem per octidui spatium quandocumq; peregerint, & interea temporis verè pœnitentes & confessi, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorũ indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus in perpetuũ valituris. &c. bitum etiam respectum ad fructus uberes, quos IGNATIVS, & ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesiâ Dei ubiq; gentium producere non cessant, & ad maximũ adiumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta & Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate prædictâ, tenore præsentium, ex certâ scientiâ nostrâ, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio, communimus: hortantes plurimùm in Domino, omnes & singulos, utriusq; sexûs, Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documẽtis & Exercitiis uti, & illis instrui devotè velint. Nec non concedentes, ut huiusmodi documenta, & spiritualia Exercitia imprimi, à quocumq; bibliopolâ per prædictum IGNATIUM eligendo, liberè & licitè valeant. Ita tamen, ut post primam editionem, sine consensu eiusdem IGNATII, vel successorum eius, nec ab hoc, nec ab alio omnino, sub excommunicationis, & 500. ducatorũ piis operibus applicandorum pœnâ imprimi possint. Ac mandantes nihilominùs universis & singulis locorũ ordinariis, ac personis in Ecclesiasticâ dignitate cõstitutis, & cathedralium, ac metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis, & earumdem ordinariorum Vicariis, in spiritualibus, & officialibus ubilibet

constitutis.

constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, cuivis de Societate prædictâ, vel aliis quorum intererit, in præmissis Spiritualibus Exercitiis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ, illos dictâ concessione & approbatione pacificè frui & gaudere: non permittentes eos, per quoscumq; contra præsentium tenorem quomodolibet molestari: contradictores quoslibet & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo: invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò ultra tres aliquis auctoritate præsentium non trahatur, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eádem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non faciẽtes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionẽ. Volumus autem, quòd præsentiũ literarum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, plena fides ubiq; habeatur, & illis stetur, tam in iudicio, quàm extra, ac si originales literæ exhiberentur & ostenderentur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo piscatoris, die ultimo Iulii. Millesimo, quingentesimo, quadragesimo octavo. Pontificatus nostri Anno XIV.

BLO. EL. FULGINEN.

TESTI-

TESTIMONIA
Eorum, quibus censura Exercitiorum est commissa.

In primâ translatione.

Legimus omnia in volumine hoc digesta, nobisq; valdè placuerunt, & ad animarum salutem in primis cōducibilia sunt visa.

CARDINALIS BURGENSIS. † A

A § ☞ Hic est Ioannes Alvarus de Toleto, Ordinis Prædicatorum, ut habet Orland. lib. 8. n. 1. & erat Tit. S. Clemẽtis Presbyter Cardinalis, Burgensis Episcopus, ac Hæreticæ pravitatis Inquisitor, ut vidimus supra in literis Apostolicis.]

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Christianæ professioni valdè proficuum, imprimatur.

PHILIPPVS VICARIUS † B

B § ☞ Hic est Philippus Archintus, Saluciarum Episcopus, Pontificis Romæ in spiritualibus Vicarius Generalis, ut videre est in prædictis literis Apostolicis, & apud Orlandinum supra.]

Non poterunt tam sancta Exercitia non maximum cōmodum præstare cuilibet studioso. Ideò obviis etiam ulnis amplectenda sunt.

F. ÆGIDIVS FOSCARARIUS, † C
Magister Sacri Palatij.

C § ☞ Hic etiam erat Sacri Ordinis Prædicatorum. vide Orland. suprà.]

In

D In secũdâ translatione. † | D § ☞ Narrat Orlandinus supra n. 2. quòd illis viris gravissimis, *dupliciter ex Hispanico idiomate latinè liber conversus, inspiciendus est traditus, qui utrumq; exemplar, ne voculâ quidem mutatâ, maximè commendarûnt.*]

Legimus spiritualia hæc Exercitia, placentq; nobis valdè, & digna iudicamus, quæ ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur, & magni fiant.

CARDINALIS BURGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Christianæ professioni valdè proficuum, imprimatur.

PHILIPPVS VICARIVS.

Cùm nequeat subsistere diu Christiana Religio sine exercitiis & meditationibus aliquibus spiritualibus (in meditatione enim, inquit vates, exardescit anima mea) nullas arbitror magis opportunas his, quæ proculdubiò ex scripturarum studiis, & longo rerum usu natæ sunt.

F. ÆGIDIVS FOSCARARIVS, Magister Sacri Palatij.

Quidam de Societate IESV, devoto Lectori ejusdem Societatis Salutem in Domino.

HÆc documenta, ac Spiritualia Exercitia, quæ non tam à libris, quàm ab unctione Sancti Spiritus, & ab internâ experientiâ, & usu tractandorum animorum edoctus, noster in Christo Pater M. IGNATIUS de LOYOLA, *Societatis nostræ Institutor, & Præpositus Generalis (ut præmissum est) composuit, ab idiomate Hispanico in Latinum, duobus modis sunt versa: altera versio, non solùm sensum sensui, sed penè verbū verbo; altera (quæ visa est præferenda) sensum tantùm sensui, † sed fideliter reddebat.* A *Cùm autem Exercitia hæc, ut satisfieret quorumdam, & præcipuè Illustrissimi Ducis Gandiæ, Frācisci de Borgiâ deuotioni, qui optabat approbari ea, Sedis Apostolicæ auctoritate, quæ iam pridem, & spiritualis plurimorum omnis generis & conditionis hominum profectus (qui per ea Spiritum Domini vel hauserant, vel mirum in modum auxerant) ubiq; approbaverat: cùm, inquam, ante approbationem Summi Pontificis, destinatis Censoribus*

A § ☞ Hæc est versio Andreæ Frusij, ut testatur Orlandinus, supra. Porrò versio illa quorumdam locorum ex Hispanico autographo, quæ in fine totius Libri Exercitiorum reperitur, alia est à duabus versionibus, quas approbarunt viri illi gravissimi. Est enim illa facta longo post tem-

ribus videnda proponerentur, utraque translatio eis est oblata: & licet omninò liberæ censuræ eorum subjicerentur, ut adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur; tamen ne verbo quidem mutato, utramq; versionem (quod testimoniis eorumdem in archetypis exemplaribus patet) approbarûnt. Quod ad impressionem attinet, hoc te, pie Lector, monitum velim, non iis, qui tantùm lecturi Exercitia;

tēpore, post quintam scilicet Generalem Congregationem, ut quædam loca obscuriora vulgatæ editionis, clariora redderentur, integrâ tamen manente vulgata editione, sicut ibi pluribus explicatur: quod tamen juverit hîc quoque breviter annotasse.]

sed qui facturi, vel potiùs aliis tradituri sunt, esse hoc laboris & operæ impensum. Cùm enim ad fructum uberem capiendum parum sit legisse, nisi strenuè quis in eis se exercuerit, & magistrum in rebus spiritualibus versatum sit nactus; constat non eo animo impressa esse, ut passim in vulgus emanarent: sed cùm laboriosum nimis esset, nec sine magno temporis & impensarum dispendio, tam multa exemplaria manuscribere, quibus ad Societatis ipsius usum opus erat, & ut varietate, & erratis plurimis (quæ in manuscriptis deprehendi solent) devitatis, indubitatæ fidei exemplaria suppeterent, typis hoc opus excusum est: sed omnia excusa volumina in potestatem Societatis, ad ipsius, ut diximus usum (ita ut nec vendi, nec excudi ullibi possint) sunt redacta. De his te monere, pie Lector (si fortè minùs innotuerant) cùm perspecta mihi sint prædicta omnia, officii mei esse duxi. Vale in Domino. Romæ, VI. *Idus Augusti,* M. D. XLVIII.

EXPLANATIO
DE PARTIBUS LIBELLI EXERCITIORUM SPIRITUALIUM, S. P. IGNATII LOYOLÆ.

§. I.
De Meditationibus, sive Contemplationibus.

QUi per mensem integrum obire Exercitia cupit, is seriem Meditationum habet in ipso libello ordinatam. Hanc sequatur, cum ea tamen facultate, addendi & mutandi, quæ à S. P. N. conceditur.

Illi autem, qui per octo vel decem dies eisdem Exercitijs vult vacare, nolumus in singulos dies, suas Meditationes præscribere. Ordinet illas ante ingressum in Exercitia, prout præsenti animæ suæ statui magis convenire judicaverit.

Auctor tamen sum, ut ne Capitalium Meditationum, quæ sunt anima Exercitiorum, ullam prætermittat. Hæ sunt *fundamentum:* Contemplationes, *de Regno* CHRISTI, *de duobus Vexillis, de tribus hominum classibus*, & consideratio *trium graduum humilitatis.* Si enim cæteræ Meditationes

tiones omnes, ad has non referantur, neq; per has inter se colligentur, erunt *scopæ*, ut ajunt, *dissolutæ*, & quamvis singulæ sint bonæ, & non inutiles, nequaquam tamen pertingent scopum, quem S. P. N. propositum habuit.

Ad quinque jam dictas capitales Meditationes proximè accedunt, & convenit adjungere alias duas; videlicet in hebdomadâ primâ, secundum Exercitium de *peccatis*. Complectitur enim, quidquid ferè ad sui, peccatorumque suorum cognitionem in spirituali via tantoperè necessariam pertinet. In quarta item hebdomada contemplationem *de amore Dei excitando*. Nam quamvis Exercitia ubiq; sint plena incitamentis ad amorem Dei, in hac tamen contemplatione Regina charitas coronat quodammodò totum Exercitiorum opus: estq; Meditatio hæc summa quædam omnium Meditationum antè institutarum, uti suo loco annotabitur.

Ex cæteris Meditationibus licebit in quaq; hebdomada, seligere aliquas, prout res & tempus feret.

§. II.

De cæteris partibus libelli Exercitiorum

QUemadmodum diversæ sunt Meditationum quasi classes; sic inter cæteras Exercitiorum partes, non eadem omnibus inest, vel necessitas, vel dignitas.

Principem inter omnes locum videtur tenere materia electionis universa Ad hanc enim eligendi artem addiscendam, ipsæ Meditationes ordinantur, & nos ducunt. Nimirùm in ea liberi arbitrii, & voluntatis nostræ rectus honestusq; usus omnis situs est: & plurima ubique sunt, quæ sine consilio & electione, nonnisi temerè, statui aut perfici possunt. Totum igitur electionis argumentum legendum & revolvendum sedulò est: atq adeo, si quam ob causam Exercitiorum tempore satis id fieri non possit, fiat primo quoquo tempore post Exercitia finita. Qui enim in isto electionis studio diligenter fuerit versatus, is

non

non pauca quotidie sapienter, & ex virtutis norma eliget, idq; prompte & absq; cogitatione laboriosâ, non secus, atque aliquis solet agere ex arte, quam probè callet, etiam tunc, cùm minimè de illa videtur cogitare. Hæc igitur Exercitiorum pars nunquam est negligenda.

Atq, hinc patet necessitas Regularum, de discernendis spiritibus: cùm non magis possit electio fieri sine illis, quàm videre possimus, quâ eundum sit, sine lumine.

Jam verò Additiones, quas S. P. N. in singulis Hebdomadibus, tantâ cum curâ, tamq; apposite describit, pernecessariæ sunt ad Meditationes cum optato fructu instituendas.

Ex Annotationibus viginti prioribus, singulæ majus vel minus pondus habent, prout vel ad meditandum, vel ad eligendum magis minusvè conducunt.

Quæ de Examine vario conscientiæ, & de Confessione generali, ac Cõmunione dicuntur, constat cuivis Christiano homini perutilia esse. At verò ei, qui vel semel Exercitia hæc peregerit, duplex Examen quotidiè in omnem vitam, usui esse deberet. Cæteris Regulis & partibus utendum eatenus est, quatenus animi status videbitur postulare.

Nunc ad ipsius Exercitiorum Libri textum, gradum faciamus: in quo perscrutando tanquam in aurifodina, studium ac labor noster omnis utilissimè collocatur. Non desit autem ei, qui exercetur, vel saltem Instructori, qui exercet, Directorium, si haberi possit. De alijs libris servetur id, quod habet Directorium cap. 3. §. 2. 3. & 4. & capite 21. §. 2.

Unum præmoneo. Quia, ut diximus, eum, qui cælesti illius libri disciplinâ institui cupit, agere magis oportet, quàm legere: inde fit, quòd in agendo tenendus sit ordo nonnumquam diversus ab eo, quo liber conscriptus est, veluti in hebdomadâ primâ necessarius sæpè est usus regularum priorum *de discernendis spiritibus*, quæ tamen ab illâ in libro haud parum sunt disiunctæ: & initio cujusq; hebdomadæ, cognoscendæ sunt illius Additiones, sive *Notanda*, quæ initio tamen non ponuntur.

Sic etiam, antequam inchoetur prima hebdomada, juverit legere Explanationem, *de materiâ Meditationum primæ hebdomadæ*, pofitam in fine quartæ hebdomadæ, poſt tres modos orandi. Et antequam inchoetur ſecunda hebdomada, ea quæ explanamus, & explicamus ibidem conſequenter (ubi declarantur myſteria vitæ CHRISTI) *de myſteriis, & Meditationibus.* Item ea quæ explanamus poſt contempl. 2 hebd 2. *De punctis Meditationum.*

☞ Quæ verò partes ad quamq; ſpectent hebdomadam, aut quando adhibendæ ſint, tradit Directorium ſuis locis, ex quo damus ſequentia.

Cap. *11.* *§. 5.* & *6.* traditur, quæ Annotationes ex 20, illi, qui exercetur, ante fundamentum proponendæ ſint; & quandonam utendum illâ Annotatione, quæ proximè ponitur ante fundamentum. &c.

Cap. *13.* docetur, quando, & quomodo utrumq; examen exponere conveniat.

Cap. 15. *§.* 8. & 9. legitur, quandonam, & quâ diſcretione *Additiones*, ac nominatim *Decima* adhibenda ſit. Quo tempore etiam adire expediat Regulas *de diſcernendis ſpiritibus.*

Cap. 16. de tempore agitur, quo de confeſſione Generali loquendum.

Cap. 27. *§.* 2. *3.* & 4. diſces, quando Regula tertia & quarta *de conſolatione, & deſolatione*, ad diſcernendos ſpiritus uſui eſſe debeat.

Cap. *30.* *§.* 7. ſimiliter videbis, qvando uſus eſſe poſſit Regularum *de diſcernendis ſpiritibus*, convenientibus ſecūdæ hebdomadæ

Cap. 35 *§. 12.* & 13. docemur, quòd Regulæ *de victu temperando*, non tantùm in hebdomadâ tertiâ, ſed etiam antè adhiberi poſſint.

Cætera deniq; invenies alibi. Nos quoq; ſuis locis nonnulla ex his iterum magis explicando attingemus, & plura dare non omittemus.]

REGULÆ DUÆ AUREÆ.

PRIMA.

MIrum in modum juvatur, qui ſuſcipit Exercitia, ſi magno animo atq; liberali accedens, totum ſtudium, & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori; ut de ſe, ſuiſq; omnibus id ſtatuat, in quo ipſi potiſſimùm ſervire poſſit, juxta ejuſdem beneplacitum. *Annot. 5. inter 20.*

SECUNDA.

HOc enim unuſquiſq; perſuaſum habeat, tantum ſe in ſtudijs ſpiritualibus promoturum eſſe, quantum ab amore ſui ipſius, & commodi proprij affectione, ſeſe abſtraxerit. *Vltima verba Hebdomadæ 2.*

ANNOTATIONES

Quædam aliquid afferentes intelligentiæ ad Exercitia ſpiritualia quæ ſequuntur,

Vt juvari poſſit tam is, qui ea traditurus eſt, quàm qui accepturus. †

A 5 ANtequam quis otio tam ſancto, quale ſunt hæc Exercitia, ſe dedat, juverit diligenter, attentèq; perlegere Annotationes ex 20. nonnullas, ſcitu præ cæteris neceſſarias, ad rem benè aggrediendam. Id quod fieri poterit hoc ferè ordine. A

Primò legatur Annotatio 1. & 4. hæ enim univerſam quamdam Exercitiorum intelligentiam afferunt, Poſſunt de his

de his videri novem primi Paragraphi in Procemio Directorij in Exercitia.

Tum 5. Annotatio, præcipuo quodam ſtudio revolvenda, & verſanda animo perdiligenter. Quæ quidem Annotatio pulchrè explicatur quinque primis §§. Cap. 2. Direct.

Demum legendæ ſunt Annotationes eæ, quæ ad locum, & tempus, & modum orandi ſpectant. Hæ ſunt 3. 12. 13. & 20.

☞ Qui verò alterius dirigēdi Provinciā vult ſuſcipere; is totum libellum Exercitiorum, imò & totum Directorium ſemel iterumq; pervolverit neceſſe eſt. Et in libello quidem Exercitiorum, ſingulæ propemodum voces momētis ſuis expendendæ ſunt. Habet enim hoc libellus iſte, admiratione dignum, quòd, quoties relegitur, toties verba novum quid & reconditum ſonant. Vide Direct. Cap. 5. §. 7.]

PRima eſt Annotatio, quòd ipſo nomine ſpiritualium exercitiorū, † intelligitur modus quilibet examinandi propriam conſciētiam: item meditandi, contemplandi, orandi ſecundùm mentem, & vocē: ac poſtremò alias quaſcumq; ſpirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia ſunt corporalia; ita quoq; præparare & diſponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & ijs ſublatis, ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ ſuæ inſti- tutio;

B (margin) — B. § Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. l. 9. c. 5. N. 1. oſtēdit nomen hoc, quod aliquibus novum videbatur, à Patribus fuiſſe uſurpatum. Ibidem N. 2. ex hiſtoriâ Societatis refert, quomodò *graviſſimus è D. Bernardi ſacrâ familiâ vir libellum hunc, novitiatum toti generi humano inſtitutū*, dixerit. Ibidem n. 4. tradit doctri- nam

A (margin)

nam hujus libelli esse magis practicam, quàm speculativam.

tutionem, & salutem animæ, Exercitia vocantur spiritualia.

☞ *Consilium Ignatii de tradendâ aliquâ directione & quasi arte - - - mentalis exercitii, fuisse prudentissimū, ac planè Divinum,* ostendit Suarez suprà Cap. 6. n.2. & 3. *Exercitiorum Methodum ad finem intentum salutis animarum esse accommodissimam,* tradit ibidem n. 4. 5. 6. 7. & .

Per hanc Methodum omnibus vitæ spiritualis statibus satis provisum esse, demonstrat ibid n 9. 10. & 11. ostendēs nominatim statui perfectorum sive contemplativorum, satis provisum esse: nam de statu incipientium, & proficientium, sive, de viâ purgativâ & illuminativâ, satis constabat. ex ijs, quæ antè dixerat. De formâ & modo Meditationis, in quo maximè laboravit IGNATIUS, sic loquitur, *revera fuit donum speciali gratiâ illi concessum, & non sine magno usu & experientiâ, comparatum cum Divinâ Gratiâ, & ideò in hâc formâ proponendâ, & declarandâ, & diversis hominum statibus & ingeniis accommodandâ, servantur ferè omnia documenta huius operis, nihilq; deest (ut existimo) quod desiderari possit.*]

SEcunda est, quòd ille, qui modum & ordinem alteri tradit meditandi, † sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, seu contemplationis historiam; percursis obiter duntaxat punctis illius præcipuis, & adjectâ solùm brevi declaratiŭculâ. C † ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historicæ primùm fundamento, discurrat postèa & ratiocinetur per seipsum. D

C § ☞ De proponenda Meditatione, vide Direct. Cap. 8. item C. 20. §. 5.]

D § ☞ Vide Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10 l. 9. Ca. 6. n. 8. ubi illustrat hanc anno-

Ita

Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehensionem historiæ, aliquantò maiorem præbeat (sive ex discursu proprio, sive ex divinâ mentis illustratione id cõtingat) gustum delectabiliorem, & uberiorem fructum percipiat, quàm si res ipsa ei ab altero diffusiùs narrata & declarata esset Non enim abundantia scientiæ, sed sensus & gustus rerum interior desiderium animæ explere solet.

Annotationem pulchro loco Cypriani in præfatione libri de exhortatione Martyrum; ubi sola Capitula Dominica se attigisse dicit, *ut non tam tractatum meum* (inquit Cyprian:) *videar tibi misisse, quàm materiam tractantibus tribuisse, quæ res in usum singulis proficit utilitate maiore Nam si cõfectam, & paratam iam vestem darem, vestis esset mea, quâ alius uteretur, & forsitan non pro habitudine staturæ, & corporis res alteri facta, minùs congruens haberetur. Nunc verò de Agno per quem redempti ac vivificati sumus, lanam ipsam & purpurã misi, quam cùm acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficias, & plus, ut in domesticâ tuâ, atq; in propriâ veste lætaberis: & ceteris quoq;, ut & conficere ipsi pro arbitrio possint, quod misimus, exhibebis.*]

TErtia est, quòd cùm in sequentibus omnibus Exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectûs, quando discurrimus, voluntatis verò, quando afficimur; advertendum est in operatione, quæ præcipuè est voluntatis, dum voce aut mente cum Domino Deo, vel Sanctis eius colloquimur, maiorem exigi à nobis reverẽtiam, E † quàm dum per usum intellectûs, circa intelligentiam potiùs moramur.

E 6. ☞ Suarez suprà N. 5. 6. & 7. Theologicè

gicè explicat, quamvis juxta doctrinam S. Thomæ, oratio magis est opus intellectûs, quàm voluntatis, quomodò id sit intelligendum, & quo sensu major reverentia requiratur in operatione voluntatis.]

Quarta est, quòd licet Exercitiis sequentibus, assignentur quatuor hebdomadæ, † totidem exercitiorum partibus, singulæ singulis respondentes, videlicet, ut in primâ hebdomadâ fiat cõsideratio de peccatis; in secundâ de D. N. Iesu Christi vitâ usque ad ingressum eius in Hierusalem die Dominicâ Palmarum; in tertiâ de passione eiusdem; in quartâ de resurrectione, & ascẽsione, adiectis tribus orandi modis; non tamen ita accipiendæ sunt dictæ hebdomadæ, ut necesse sit unamquamq; continere septem vel octo dies. Cùm enim contingat alios aliis tardiores, vel promptiores esse ad consequendum id, quod quærunt (puta in primâ hebdomadâ contritionem, dolorem, & lacrymas de peccatis suis) aliquos etiam plùs aut minùs agitari probarique variis spiritibus; expedit nonnumquàm * succidi hebdomadam quamcumque, vel * extendi, iuxta materiæ subiectæ rationem. Solet tamen totum Exerciciorum tempus triginta dierum, aut circiter, spatio concludi.

F [† F § ☞ Lege de hoc Directorium Cap. 39. ubi de tribus viis, purgativâ, illuminativâ, & unitivâ atque de quatuor hisce Hebdomadibus agitur.

De ijsdem vide etiam Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 6. N. 5. 6. 7. 8. & 11.]

Quin-

QUinta eſt, quòd mirum in modum juvatur, qui ſuſcipit Exercitia, ſi magno animo atque liberali accedens, totum ſtudium, & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori, ut de ſe, ſuiſq; omnibus id ſtatuat, in quo ipſi potiſſimùm ſervire poſſit, iuxta eiuſdem beneplacitum.

G SExta eſt, quòd tradens Exercitia, † ſi animadvertat ei qui recipit, nullas incidere ſpirituales animi cõmotiones, ut ſunt conſolationes, vel triſtitiæ, neque diverſorum ſpirituum agitationes; ſedulò debet percontari, an ipſa Exercitia præſcriptis agat temporibus, & quibus modis, an etiam obſervet diligenter cunctas Additiones; & de ſingulis ratio poſtuletur. Porrò de conſolationibus, & deſolationibus infra tractabitur, in primis Reg. de diſcern. ſpiritibus. De additionibus verò in fine hebd. primæ.

G ſ Huc ſpectant Annotationes ſequentes. 7. 8. 9. 10. 13. 14. 15 16. ☞ Præterea qualis eſſe & quid facere debeat, qui Exercitia tradit, vide Directorium Cap. 5. De viſitando eo, qui Exercetur, cap. 6. & de exigenda ratione meditationis c. 7.]

SEptima eſt, quòd is qui alterum exercendum curat, ſi eum videat deſolatione affici ſeu tentatione, cavere debet ne ſe durum vel auſterum ipſi exhibeat, ſed mitem potiùs, ac ſuavem præſtet, confirmato eius animo ad agendum ſtrenuè in poſterum, detectiſque inimici noſtri verſutiis, eum ad conſolationem ſtudeat diſponere tanquàm breuì ſubſecuturam.

Octava eſt, quòd circa conſolationes, & deſo-

lationes ſumentis Exercitia, & circa aſtutias inimici, poterunt vſui eſſe regulæ quæ * in * b
prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis ſpiritibus internoſcendis.

NOna eſt, quòd ſi exercendus eſt quiſpiam ſpiritualium rerum inexpertus, vnde contingat, eum in primâ hebdomadâ craſſis quibuſdam apertiſque tentationibus vexari, oſtenſis iam inde proſequendi obſequij divini certis impedimentis, (cuiuſmodi ſunt moleſtia, anxietas, pudor, timor, habitâ honoris mundani ratione) tunc illi, qui eum exerceri docet, ſuperſedendum eſt uſu regularum, quæ ad ſecundam hebdomadam pertinent, de diſcretione ſpirituum, & iis vtendum ſolis, quæ in primâ dantur. Quia quantum alter ex his accepturus eſt commodi, tantumdem ex illis diſpendij referret ob ſubtilitatem rei, & ſublimitatem, quæ eſt ſupra eius captum.

DEcima eſt, quòd qui exercetur, ſi tentationibus iactetur, boni ſpeciem præſeferentibus, tunc muniendus eſt per dictas regulas hebdomadæ ſecundæ. Humani enim generis inimicus, per boni ſpeciem, eos vt plurimùm oppugnat, † qui antea in viâ vitæ, quam illumina- H
tivam appellant, reſpondente Exercitiis ſecundæ hebdomadæ, fuerint potiùs verſati, quàm in alterâ quæ purgativa dici ſolet, * * c
atq; per Exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur.

H § ☞ Hoc pulchrè oſtendit Suarez ſup. N. 8. & 9.]

Undeci-

UNdecima eſt, quòd exercenti ſe in primâ hebdomadâ, expedit neſcire, quid in ſecunda ſit acturus: ſed ad conſequendum illud, quod tunc quærit, acriter laborare, perinde ac ſi nihil boni poſteà eſſet reperturus.

DUodecima eſt, quòd admonendus eſt is, qui exercitatur, ut cùm in quotidiano quolibet
I exercitio, ex quinque infra deſcribendis, † expendi debeat unius horæ tempus; curet ſemper animi quieté in hoc reperire, quod plus temporis potiùs, quàm minùs insŭpſiſſe, ſibi conſcius ſit. Frequẽs eſt enim dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi vel orationi temporis ſpatium decurtetur. Deci-

I § Quot horis meditandum ſit, vide in Directorio Cap. 3. §. 7. & 8. item Cap. 14. §. 1. item Cap. 21. § 1.

Nota quod etiam in 4. hebdomadâ, ubi maxima poſſet eſſe relaxatio à S. P. N. non pauciora, quàm quatuor præſcribantur Exercitia, & quod juxta hanc 12. Annot. in quolibet Exercitio debeat expendi unius horæ tempus, conformia leges in Directorio.

Quapropter à mente S. P. N. recedunt illi, qui pauciora Exercitia peragunt, niſi fortè ſenectus, vel infirmitas virium ad pauciora cogat, ſed tales plerumq;, ad proprij nominis Exercitia obeunda, apti non ſunt: ideoq; ad alios id extendi minimè debet.

Adde, quod S. P. N. quando debilibus permittit quatuor tantùm Exercitia per diem, agat de ſeceſſu, qui fit per integrum circiter menſem; quo tempore ex longo, & (ut S. P. N. diſertè notat) etiam nocturno labore, fatigatio faciliùs oritur: quam non tam pronum eſt oriri, quando Menſe fere toto abſtinetur à nocturno Exercitio; & multò minùs pronum eſt, quando quis Exercetur per octo tantùm, vel decem dies.

Non arbitramur tamen illum à mente S. P. Nostri aberraturum, qui quinq; vel saltem quatuor Exercitia integræ horæ faciens quotidie; contra vel præter mentem suam, ob fatigationem, cogeretur paucis diebus illa minuere.

Possunt poni quatuor ordines Exercitiorum spiritualium.

1. Integra Exercitia, in materiâ, & formâ, sicut hæc à S. P. Nostro præscribitur, cum additionibus, &c; extensa quoq; ad tempus unius circiter mensis.

2. Integra quodammodo in materiâ, & formâ, sed contracta ad tempus octo vel decem dierum.

3 Integra in materiâ, sed non in formâ; qualia describit S. P. N. Annot. 19. inter 20. pro homine negotijs occupato, qui tamen capax est, ut etiam mysteria Christi ipsi dentur.

4. Exercitia quæ in materiâ non sunt integra: veluti cum sola prima hebdomada, vel alia leviora Exercitia rudioribus dantur.

Duo prima genera proprij nominis sunt Exercitia. Secundum tamen genus non tam propriè, quàm primum.

Duo posteriora genera, deficiunt vel in materiâ, vel in forma, vel interdum in utroque.

DEcima tertia est, quod cùm facile sit ac leve affluente consolatione integram contemplationis horam traducere: difficillimum è contra, incidente desolatione; idcirco adversùs tentationem, ac desolationem semper pugnandum est, producto ultra præfinitam horam exercitio, vincendi gratiâ. Ita enim non solum discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

DEcima quarta est, quod si vacans Exercitiis cernatur consolatione multâ, & fervore magno ferri, obviandum est, ne promisso aliquo vel voto inconsultè ac præcipitanter facto, se obstringat: Idq; tantò fuerit diligentiùs prævertendum, quantò

quantò ille ingenij esse instabilioris perspicitur. Quamvis enim unus alterum iustè movere possit ad ingressum religionis, in quâ emittenda sint obedientiæ, paupertatis, atq; castitatis vota; quamvis præthereà majoris meriti sit opus ex voto quàm sine voto factum; plurima nihilominùs ratio habenda est conditionis propriæ personarum. Item attentè est considerandum, quid commodi, vel incommodi possit occurrere, ad illud præstandũ, quod aliquis promissurus sit.

DEcima quinta est, quod tradens Exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem & K promissionem ejus magis quàm ad oppositum; † neque ad hoc potiùs, quàm ad illud institutum vitæ: quia licet extra Exercitia licitum sit, & pro merito ducendum, si quis cælibatum, religionem, & aliam quamcumq; Evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus, quos ex personarum & conditionum ratione probabile sit fore idoneos; longè tamen convenientius, meliùsque est, inter Exercitia ipsa id non attentare: sed Dei potiùs voluntatem quærere, atq; præstolari, donec ipse Creator ac Dominus noster animæ sibi devotæ sese communicet, eamq; amplexans ad

K § ☞ De hoc agit Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10, lib. 9. Cap. 7. N. 4. ubi docet, *actum consulendi ea, quæ sunt maioris perfectionis, per se optimum esse, & opus Charitatis; tamen quia finis eius est utilitas proximi in particulari, non erit melius, nisi sit etiam utilius; sicut correctio fraterna bona non est, nisi speretur utilitas.* Notãda verò sunt verba, quæ ibidem habet

ad ſui amorem, laudem & ſervitium diſponat, prout maximè ſcit eſſe commodum. Quapropter dictanti Exercitia ſtandum eſt in quodam æquilibrio, ſinendumque, ut citra medium, Creator ipſe cum creatura, & hæc vicissim cum illo rem transigat.

habet N. 5. *quando autem*, inquit, *Conſilium poſtulat ipſe, qui electurus eſt, quoniam anceps eſt & dubius, tunc non erit malum illud præſtare; quia iam non recipitur, ut omninò alienum, ſed ut ab ipſomet poſtulante aliquo modo ortum: quia etiam faciliùs accipit medium per quod à Deo ipſo illuminatur. Solùm obſervandum eſt, ne quis nimiùm facilem & promptum ſe exhibeat ad huiuſmodi Conſilium præſtandum, ſed priùs efficaciores rationes, & commoda vel incommoda utriuſque partis proponat, eaſque alteri conſiderandas, & electionem faciendam committat: quod ſi nihilominus alter inſtet, & Magiſtri iudicium intelligere velit, priuſquam eligat, non eſt illi denegandum regulariter loquendo, quia tunc & opus ipſum, ſecundùm ſe meliùs eſt, & ex illo maior utilitas non immeritò ſperari poteſt.* ita Suarez, qui antè recēſuerat pericula conſilij ſponte oblati, præſertim tempore Exercitiorum.]

DEcima ſexta eſt, quòd, ut Creator ipſe, Dominuſque noſter in creatura ſua certiùs operetur, ſi accidat animam ad aliquid minùs rectum affici atq; inclinari, ſummoperé ac totis viribus nitendum eſt in contrarium; (ut puta, ſi ad officium vel beneficium adipiſcendum aſpiret, non divinæ gloriæ, aut communis animarum ſalutis causâ, ſed cōmoditatis ſuæ, negotiorumq; temporalium duntaxat) tunc affectus ad oppoſitum † L impelli debet, per aſſiduas orationes, & alia exercitia pia, in quibus à clementia Dei oppoſitum

L 5 De hoc juverit videre Explanationem poſitam

tam

tum

tum petatur: videlicet, hunc ut ille animum offerat ipsi Deo, se tale officium vel beneficium, aut aliud quidvis, jam non appetere, nisi priorem affectum adeò mutaverit, ut nihil jam omninò desideret, vel possideat aliá ex causá, quàm divini cultûs & honoris.

tam infra ad *Notandum*, quod subjungitur meditationi de tribus hominum classibus; & aliam positam ad Reg. 5. de distribuendis Eleëmosynis.

*d

M DEcima septima *† perutilis est, quòd scilicet tradens Exercitia, inquirere ac scire nolens proprias alterius cogitationes & peccata; superest, ut certior factus fideliter de cogitationibus † à vario spiritu immissis, & ad majus, aut minus bonum trahẽtibus, spiritualia nonnulla Exercitia illi præscribat, præsenti animæ necessitati opportuna.

N

M § Lege clariorem versionem ex autographo, in fine positam.

N § De necessitate Instructoris, cui cogitationes omnes aperiendæ, vide Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib 9. Cap. 5. N. 41. & Cap. 6. N. 4.

O DEcima octava est, quòd juxta ejus, qui exercetur, habitudinem, † puta pro ætate, doctrina, vel ingenio, accommodari debent Exercitia: ne cui rudi aut imbecilli seu debili ea imponantur, quæ ferre non possit citra incommodum, nedum ad profectum suum assumere. Similiter prout

O § ☞ Quomodo inducendi sint homines ad Exercitia, vide Direct. Cap. 1. in quo refertur, quod S. P. N. judicavit, optimum esse in Confessione, vel etiam

etiam extra Confessionem, dum quis est in molestiâ spirituali, aut temporali; vel dũ quis cupit emendationem alicujus vitij, dexterè accersitâ occasione, hoc Exercitiorum remedium proponere. Ex constitutionibus verò nostris monemur, ut in plurimis desiderium conemur excitare peragendi hæc Exercitia exponendo fructꝰ, pacem & quietem animi, prudentẽ totius vitæ gubernationem, & cætera quæ ex ijs acquirũtur commoda: adductis etiam exemplis eorum, qui de illis peractis gavisi fuerũt. Exempla autem adducenda eorum præcipuè, qui Religiosi facti non sunt, nè fortè suspicentur se per Exercitia ad Religionem inducendos; cum revera

cui-

cuiq; in animo est sese disponere, impartiendum id demum est, quod eum potissimũ iuvare possit. Propterea ei, qui se instrui dumtaxat postulat, & ad gradũ aliquem perduci in quo animus suus conquiescat; tradi potest Particulare primum Examen infrà positum; deinde generale, simulque modus orandi manè per horæ dimidium, ex præceptorum Dei, & peccatorum mortalium consideratione, de quâ suo loco infra. Suadendum etiam fuerit, vt octauo quoque die peccata sua confiteatur, & quindecim dierum interuallo, vel octo potiùs, si affectus impellat, sumat Eucharistiæ Sacramentum. Ista exercitationis ratio propriè competit rudioribus seu illitteratis, quibus insuper exponenda erunt singula præcepta Dei, atque Ecclesiæ; mortalia peccata, cum quinque sensibus, & operibus misericordiæ. Itidem si is qui tradit Exercitia, alterum viderit debilis esse naturæ, ac parum capacis, unde modicus prouentus & fructus sperari

rari

rari queat, ſatiùs fuerit aliqua ex dictis levioribus exercitijs ipſi præſcribere, uſq; ad confeſſionem peccatorum: poſteà nonnulla cõſcientiæ examina, & methodum confeſſionis frequentioris dare, quibus iam paratum ſibi animæ profectum ſeu lucrũ tueri poſſit. Non erit autem progrediendum ad electionum dictamina, aliorumve, quàm primæ hebdomadæ Exercitiorũ: quoties præſertim alij adsũt maiori cũ fructu exercitandi, nec omnia omnibus præſtare tẽporis permittit anguſtia. Deci-

cuicumq; etiam ſeculari ſtatui Exercitia hæc ſint perutilia. vide plura eodem Capite.

Facilè autem erit in multis deſiderium illud excitare, ſi modus peragendi Exercitia proponatur eorũ captui & negotijs accõmodatus, de quô mox pluribus.

Quomodo diſpoſitus eſſe debeat, qui ad Exercitia facienda accedit, explicatur direct. Cap. 2. Item de quibus monendus ſit Exercitia ingrediens, & de tempore meditandi, Cap. 3. Item de varijs hominum generibus, quibus dari poſſunt Exercitia Cap. 9. Item de modo tradendi noſtris Exercitia Cap. 10. vide etiam Cap. 18. §. 5. ubi dicitur, quid cum minùs capacibus agendum. quam in rem legendus omninò §. 7. Cap. 1. directorij, ubi de hoc inſtructio à S. P. N. ſcripta refertur.

Tria genera hominum, & tres modos tradendi Exercitia noto ex Conſtit. par. 7. Cap. 4. §. 9. lit. F. ubi S. P. N. ſic loquitur: *Exercitia ſpiritualia plenè nonniſi paucis, iiſque huiuſmodi, ut ex eorum profectu, non vulgaris ad Dei Gloriam, fructus ſperetur, tradenda ſunt.* En primum genus hominum, *paucorum* ſcilicet; & primus modus, quo Exercitia *plenè* dantur. Pergit S. P. N. *Primæ hebdomadæ*, inquit, *Exercitia ad multos - - - - extendi poſſent.* En ſecundum genus hominum, *multorum* ſcilicet; & ſecundus modus, quo traduntur *ſola Exercitia primæ hebdomadæ*,

cum

cum annexis examinibus, &c. Pergit iterum S. P. N. *& aliqua*, inquit, *conscientiæ examina, & modi orandi (præsertim primus trium illorum, qui in Exercitijs proponuntur) ad multò plures etiam extendi possent. quibus enim bonâ præditus Voluntate ad hæc idoneus erit.* En tertium genus hominum, *multò plurium* scilicet, in quibus sola bona voluntas requiritur; & tertius modus, quô omissis etiam exercitijs primæ hebdomadæ, traduntur *sola examina, & modi orandi, præsertim primus trium*, qui in exercitijs proponũtur. videtur S. P. N. huc respexisse sup. Annot. 1. ubi tres quasi Classes ponit Exercitiorum spiritualium. prima est *modus quilibet examinandi conscientiam*, ad quem reduci potest primus orandi modus. Secunda est, *modus meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem & Vocem.* Tertia est, *modus alias quascumq́ spirituales operationes tractandi.* hæc tertia classis, *paucis*; secunda, *multis*; prima, *multò pluribus* convenit.—

Orlandinus hist. Societ. scribit lib. 5. n. 25. quod S. P. Noster Lainio & Salmeroni destinatis, & euntibus ad Cõcilium Tridentinum, sic præceperit: *ne cuipiam ad commentandum alia proponatis argumenta præter ea, quæ primâ hebdomadâ proponuntur, nisi forte perpaucis; & ijs, qui de Vitæ genere per electionis locos deliberare Velint.* lib. 9. n. 15. narrat, quod de Religiosis fæminis consultus Ignatius, *respondit non abhorrere, ab institutis nostris. si earum semel confessiones exciperentur: utiliùs tamen fore, si spiritualibus primæ hebdomadæ Exercitijs ad rectam peccatorum Confessionem erudirentur.* lib. 16. N. 2. refert, quomodo B. Ignatius *Exercitiorum quoq́ spiritualium Vehementer usum commendans, quò latiùs eorum manaret utilitas, admonuit; ut, quæ ad primam hebdomadam pertinent, coniunctis etiam matrimonio Viris, ac fæminis impertirent.* Quæ sic intelligenda arbitror, ut vel secundo modo, jam explicato, impertiantur Exercitia; vel saltem tertio, pro personarum capacitate.]

P DEcima nona est, quod homini negotijs publicis, † vel aliis convenientibus districto, sive ingenio sive literis præditus sit, suppetente ipsi horâ unâ & dimidia diebus singulis ad sumēda nonnulla exercitia; exponendum primò erit, quem in finem homo creatus sit: deinde per horā dimidiam examen particulare, deinceps generale cum modo rite confitendi, sumendiq; Sancti Sacramenti, tradi ei possunt: præscribendo etiam, ut manè, per triduum, spatio unius horæ meditationem agat de primo, secundo ac tertio peccato, ut docetur infra. Posteà per alios tres dies eadem horā de processu peccatorum. Per alios totidem de pœnis, quæ peccatis respondent.

Dictandæ quoque illi erunt intra totum dictarum trium meditationum tempus, decem additiones illæ, quæ habentur in fine primæ hebd.

Observabitur eadem meditādi ratio circa mysteria Domini nostri Iesu Christi, quæ infra in ipsis-

P § ☞ Animum advertant ad hanc Annotationem operarij omnes in vinea Domini, & Confessarij, discantq; quomodò viris etiam ingenio & literis præditis quāvis *negotijs publicis* distrahantur, possint tradi Exercitia, non tantùm primæ hebdomadæ, sed etiam aliarum, in quibus *Mysteria Domini nostri JESU Christi*, considerantur. Estq; hic modus tradendi Exercitia valdè diversus à quocumque alio, qui adhibetur, quando personæ sunt minùs impeditæ. in quo singularis apparet sapientia & discretio S. P. N, qui egregiè observat id, quod Annot. præced. dixerat, *quod iuxta eius, qui exerce-*

xercetur habitudinem, puta pro ætate, doctrinâ, vel ingenio, accommodari debent Exercitia. Magnum campum exercendi zeli sui habent Confessarii, qui has *S.P.N.* Annotationes probè ipsismet Exercitijs latè explicatur. intelligunt.]

VIgesima est, quòd ei, qui à negotijs liberior est, & fructum consequi spiritualem optat, quàm possit maximum, tradenda sunt omnia Exercitia eodem, quo procedunt, ordine (& quidem scribi rerum capita, ne excidant è memoria expedit) in quibus (secundùm successum communiorem) tantò majorem faciet progressum spiritualis vitæ, quantò magis ab amicis notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit: † ut si ab ædibus pristinis migret in domum cellamvè aliquã secretiorem, unde ipsi liberum secumq; sit egredi ad matutinum, sacrum Missæ, vel ad vesperarũ officium cùm libuerit audiendũ absq, familiaris cujusquam interpellatione. Ex qua quidem loci secessione inter alias multas commoditates hæ tres præcipuè consurgunt. Prima, quòd exclusis amicis & familiaribus, negotijsque minùs rectè ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quod per hujusmodi secessum

Q § ☞ De loco Eercitijs idoneo, & de quibusdam particularibus, vide direct. Cap. 4. item Cap. 2. §. 2.

Quibus omnibus lectis, ac nominatim benè cõsideratis tribus cõmoditatibus in hac Annotatione enumeratis, quæ oriũtur ex secessione ab hominibus, & negotijs, facilè judicabitur, quantum

ſeceſſum intellectu minùs quàm antea diſtracto in diverſas partes, ſed collectà redactâque omni cogitatione ad rem unam, ſcilicet ad obſequendum Deo Creatori ſuo, & ſaluti animæ ſuæ, conſulendum, multò liberiùs ac expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo, quod deſiderat tantoperè. Tertia, quòd quantò ſe magis reperit anima ſegregatam ac ſolitariam, tantò aptiorem ſeipſam reddit ad quærendum, attingendumq; Creatorem & Dominum ſuum: ad quem inſuper, quò propiùs accedit, eò meliùs ad ſuſcipienda bonitatis diuinæ dona diſponitur.

tum boni impediatur, & quantum damni inferatur ſpiritui, quando illi, ad quos ſpectat, non curant ſolicitè, ut ſui, dum Exercitiis hiſce excoli volunt, aut debent, ab aliis omnibus occupationibus liberi ſint. De viſitando eo, qui Exercetur vide Cap. 6. & 21. §. 3. in director.

EXERCITIA

Quædam ſpiritualia, per quæ homo dirigitur, † ut vincere ſeipſum poſſit, & vitæ ſuæ rationem, determinatione à noxiis affectibus liberâ, inſtituere.

A § Ad ſingulas tituli voces animum adverte, ut ſcias quò Exercitia hæc tendant, & ducant.

IN primis, ut per hujuſmodi Exercitia, tam qui ea tradit, quàm qui accipit, juvari queat, ſupponendum eſt Chriſtianum unumquemque pium,

debere promptiore animo sententiam seu propositionem † obscuram alterius, in bonam trahere partem, quam damnare. Si verò nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem, & si minùs rectè sentiat, vel intelligat, corripiat benignè: B

B § Præceptio, quæ in contextu datur, perutilis est, quocumq; etiam alio tempore, extra Exercitia, & regula idonea ad procedendum in spiritu fraternæ charitatis.]

† hoc nisi sufficit, vias omnes C

C § ☞ Hæc correptio, & viæ aliquæ ad liberandum ab errore, nonnumquam per alium meliùs adhibentur.]

† opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu, ac securum reddat ab errore. D

D § ☞ Suarez supra Cap. 5. N. 10. declarat, per hæc verba, etiam dum error esset contra fidẽ, satis comprehendi vias omnes, quæ adhiberi ex Ecclesiastica lege deberent.]

Principium † seu fundamentum. A

Crea-

A § De Principio sive fundamento, legi potest Direct. Cap. 12.

Notandum, nulla hîc præscribi præludia, nulla colloquia; quæ deinceps S. P. N. accuratissimè tradit, per singulas hebdomadas. Non est tamen, cur aliquæ meditandi regulæ alibi positæ, hîc usui esse non possint. Cæterùm in hac fundamenti consideratione, illud præcipuo studio est curandum, ut veritas, quam ibi docemur, menti nostræ, quàm fieri potest, altissimè imprimatur.

Principium, sive fundamentum, distribui potest in tria, vel quatuor puncta.

1. Sit

1. Sit de fine hominis. 2. De medijs ad finem illum conducentibus. 3. De indifferentiâ animi ad illa media. 4. De electione mediorum. Hisce Capitibus tota Exercitiorum moles, tanquam fundamento innititur.]

B Creatus est homo ad hunc finē † ut Dominū Deum suum laudet, ac revereatur, eiq; serviens tandem salvus fiat: Reli-

B § In 1. puncto voces singulæ ponderis habent plurimum. Si *Deum* cōsideres; summam in laude ipsius, honestatem agnosces. Si *Dominum* tuum, & quidem Dominum supremo creationis jure; summam æquitatem & justitiam. Si *hominem* summam rationem, facultatem, & convenientiam. Si naturam *finis* spectes; summam necessitatem. Si *salutem* tuam, cum fine illo conjunctam; summam utilitatem, voluptatemque reperies.

Laude celebramus Dei excellentiam, & quàquà possumus divulgamus.

Reverentia & honor exhibetur, tanquam præsenti.

Servire est ex voluntate nutuque ejus dependere, & mandatis ejus obtemperare.

C qua verò supra terram sita, † creata sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ prosequendū iuvent: unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel confe-

C § In 2. puncto, *Reliqua verò supra terram sita, &c.* illud in primis considerandū est, reliqua super terram sita esse media duntaxat & instrumenta, quibus homo uti debet, ad finem, ob quem conditus est, consequendum. Hinc siquidem rectè concluditur; sicut artifex in instrumētis, usum spectat, non materiam; sic nullâ habitâ ratione materiæ rerum creatarum, *utendum illis vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis, vel conferunt, vel obsunt.*

D § In 3. puncto. Mens in æquilibrio collocanda quodammodò est. Nimirùm, sicut artifex officinam suam circumspiciens, æquabili in omnia instrumenta est animo; non tam materiam, quàm usum in ijs contemplans; ita nos decet animo non magis propenso in has esse res creatas, quàm in alias.

conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus † absque differentiâ nos habere circa res creatas omnes, (* prout libertati arbitrij nostri subiectæ sunt, & non prohibitæ,) Ita, ut (quod in nobis est) non quæ- D

Illa verò quatuor genera rerum, quæ S.P.N. in hoc puncto nominatim enumerat; nempè sanitas, vel ægritudo; divitiæ, vel paupertas; honor, vel contemptus; vita longa, vel breuis; semper deinceps ob oculos meditanti debent versari. Nam & periculum majus est, ne per illas animus ab æquilibrio suo in deteriorem partem flectatur; & ad illa quatuor genera, reducuntur ferè res cæteræ omnes.

E . ☞ Quomodo erga sanitatē & vitam, quamvis sint bona, quæ propter se appeti possunt (qualia non sūt divitiæ & honor) utilissimum tamen sit habere illam indifferentiam, leges apud Suarez supra N. 11. & 12.]

ramus sanitatem magis, † quàm ægritudinem: neque divitias paupertati, honorem contemptui, viam longam brevi præferamus. * Sed consentaneum est, † ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt eligere ac desiderare. E

F §. In 4. puncto. Quod hîc concluditur de delectu mediorum, manifestè consequitur ex ijs, quæ dicta sunt: sicut consideranti facilè patebit.

EXA- F

In toto deniquè hoc argumento, istud diligenter est notandum: mediis, quatenus media sunt, nullam inesse boni-

tatem

tatem, præter bonitatem finis. Cùm igitur non aliâ conditione facta sint, quàm ut tanquam media, nos juvent ad finem: necesse est, nullam in illis esse rationē boni, præter illam finis. Si quæ appareat alia species boni; est illa vana, fallax aut fucata.

EXAMEN PARTICULARE.

A *Est quotidianum, † tria tempora complectens, ad dispositionem sui ac duplicem discussionem accommoda.*

A § Satis planæ sunt, quæ hìc tradūtur: præsertim, si addantur ea, quæ habet Directorium Cap. 13. usq; ad §. 7. ubi utilitas, & perpetuus examinis particularis usus commendatur: & quod debeat ab Instructore ei, qui exercetur, tradi statim post fundamentum. Vult S. P. N. Annot. 19. inter 20. hoc examen particulare tradi etiam illis, qui publicis negotiis distrahuntur.

☞ De Examine quotidiano Generali, & particulari vide Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 6. N. 5. nominatim vide, quatenus particulare examen proprium quasi sit B. Ignatio, & quatenus notum atq; usitatum antiquit.

PRimum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia, vt reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, & in posterum cauere: deinde priorem faciat di-

scussionem, exigens ab animâ suâ rationem de peccato, seu vitio iam dicto, & singulas diei partes præteritas percurrens ab eâ horâ, quâ surrexit, vsque ad præsentem, quoties illud commiserit, & puncta totidem signet in priore lineâ figuræ subscriptæ. Quibus peractis denuò proponat per spatium diei reliquum, diligentiùs sese cohibere. Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post cœnæ horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore vsque ad præsens lapsis, & eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore lineâ figuræ, sequenti similis ad hoc præparatæ.

ADDITIONES QUATUOR.

Vtiles ad faciliorem & celeriorem peccati seu vitij cuiusvis extirpationem.

PRima est, vt quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admotâ, doleat de lapsu, quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec aduertentibus.

Secunda est, vt sub noctem numeratis, comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an à priore examine vsque ad secundum aliqua successerit emendatio.

Tertia est, ut conferat diei secundæ, atque præcedentis examina invicem: considerans ecquid sibi emendationis interuenerit.

Quarta, ut collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo, factæ vel omissæ emendationis rationem habeat.

Item notandum est, ex sequentibus figuris, primam ceteris longiorem deputari diei primæ, puta Dominicæ : secundam verò diei Lunæ, paulò breuiorem: & ita deinceps: cùm par sit diminui in dies erratorum numerum.

EXAMEN CONSCIENTIÆ GENERALE; †

A ſ ☞ De hoc Examine Generali, ſive de ſpeciebus peccatorum, lege ſ. 7. Cap. 13. Directorij.

Suarez ſuprà Cap. 5. N. 13. ſcribit: quod hîc *multa ad moralem doctrinam de peccatis pertinentia valdè utilia, & cum ſumma brevitate proponuntur, tam clarè & diſtinctè, ut magnam rei comprehenſionem indicent.* & narrat quomodo B. Ignatius, *cum argueretur, cur ſine exactâ doctrinâ auderet rem difficillimam definire, differentiam mortalis & venialis peccati, etiam in internis cogitationibus conſtituendo, reſpondiſſe dicitur, „ Verané ſint, aut falſa, quæ ſcripſi, veſtri iudicij eſt: ego enim meum non interpono. Si vera ſunt, probate, ſi falſa, reijcite. „ Nemo autem* (*ut ibidem refertur*, ſcilicet lib. 1. vitæ Cap. 15.) *auſus eſt quidquam eorum improbare.*]

Ad purgationem animæ, & ad peccatorum confeſſionem utiliſſimum.

PRo comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus; Unum ex proprio ſurgens motu ipſius hominis: Reliqua verò duo extrinſecùs advenientia, ex boni ſcilicet vel mali ſpiritûs ſuggeſtione.

De cogitatione.

DVobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materiâ peccati mortalis, de quâ hic ſermo eſt. Primò, quando ſuggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, ſed ea confeſtim repugnando vincitur. Secundò, quando praua iſtiuſmodi

usmodi suggestioni semel, ac iterum repulsæ, & subinde nihilominùs reuertenti continuè resistit homo, donec penitùs expugnetur: quod quidem victoriæ genus meritò alterum antecellit.

Peccat autem leuiter aliquis, seu venialiter quando in subortâ peccati mortalis cogitatione, aliquantulùm moratur, quasi auscultando, vel quando aliquâ obiter sensûs delectatione afficitur, vel
B in eâ retundendâ sese exhibet negligẽtem. † Mortale verò peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur; Primò, quando cogitationi peccati præbetur quâcumque ratione, assensus. Secundò, quando peccatum illud opere completur, idq; gravius est priore, ex tribus causis: Videlicet, ob majorem temporis decursum: ob actum intensiorem: & ob plurium deniq; offendiculum sive detrimentum.

B †. Suarez ibidem, docet, & ex textu probat, *B. Ignatium loqui præcisè de negligẽtiâ, quæ non transit in consensum; nec directũ, nec interpretatiuũ,* sed de subreptitiâ, & antecedente, *ad plenam iudicii & rationis animadversionem.*

De loquelâ.

VErbo etiam multifariàm offenditur Deus; vt in blasphemiâ, iuramento. Nam iurandum non est, neque per Creatorem neque per creaturas vllas, nisi concurrentibus his tribus, veritate, necessitate, ac reverentiâ. Porrò intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantùm, quæ circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, mo-

menti est non levis. Reuerentiam dicimus, quando assumens divinum nomen adhibet considerationem, ut Deo Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet iuramentum temerè seu vanè factum per Creatorem, sit grauius peccatum, quàm per creaturam; difficilius tamen esse, per hanc, quám per illum licitè iurare, seruatis debitis circumstantiis, quas diximus. Primò, quia in mentione creaturæ faciendâ per iuramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac necessitate iuremus, sicut nominato rerum omnium Creatore. Secundò, eò quòd ad honorem Deo exhibendum cum reuerentiâ, longè debiliùs mouemur ex commemoratione creaturæ, quàm ipsius Dei Creatoris. Quamobrem iurare per creaturas, perfectis magis conceditur, quàm crassioribus siue idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, & illustratione intellectûs, considerant propiùs, atque deprehendunt Deum secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam suam creaturæ cuilibet inesse: unde ad præstandam illi debitam in iuramento reuerentiam paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum prouecti sunt. Tertiò, quia creaturis ad confirmationem iuramenti crebriùs adscitis, periculum esset idololatriæ: id quod imperfectis magis, quàm perfectis fuerit timendum.

Vitandum est insuper verbum otiosum (inter alia locutionis peccata,) quale esse intelligi-

tur,

tur, quodcumque nec loquenti, nec alteri prodeſt, nec eo etiam animo profertur, vt afferat utilitatem. E conuerſo verò minimè otioſum cenſendum eſt verbum illud, quodcumque ad animæ vel propriæ, vel alienæ, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet: aut certè ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur: etiam ſi quis de negotiis loquatur, ab inſtituto ſuo alienis, ut religioſus de bellis, vel mercimoniis. Ceterùm ex ſermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit: ad malum verò finẽ, aut futiliter prolatus ſermo, generat peccatum.

Sunt & oris peccata, mendacium, falſa teſtimonia, detractio. Nam detrahendum non eſt alteri, nec obmurmurandum. Reuelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non ſit, cum malâ intentione, vel graui damno famæ alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale ſolùm. Ad hæc quotieſcumque alienum patefacimus vitium, vel defectum, noſtrum ipſorum vitium, ac defectum ſimul commonſtramus. Verumtamen ubi recta mens eſt, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primò, quando publicum eſt, ut meretricium, vel damnatum in iudicio, vel pernicioſum, puta ob errorem publicum, animos converſantium corrumpentem.

Secundò, quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius ſubventionem, ille re-

leuari à peccato poſſit: dummodò rei huius, probabilis aliqua ratio, vel conjectura offeratur.

Poſſent inter oris peccata, irriſiones, contumeliæ, & alia id genus adſcribi, quæ perſequi licebit † tradenti Exercitia, prout opus eſſe judicaverit. C

C ſ. Directorium notat, quod S. P. N. noluerit omnes peccatorum ſpecies comprehendere hac brevi tractatione: ſed aliquas tantùm, in quas etiam viri paulò magis ſpirituales ſolent incidere. Atq; hîc S. P. N. diſertè dicit, quòd plures ſpecies poſſint conſiderari, prout opus eſſe judicabitur. Hæc tamen quantumvis brevis tractatio, & inſtructio multùm juvat ad ſe rectè examinandum, & ad Sacramentalem Confeſſionem: & in tertio puncto Modi Examinis, proximè hîc ſubjuncti, præſcribitur, ut Examen fiat circa cogitationem, loquelam, & operationem.

De opere.

PRopoſitis ante oculos decem mandatis Dei, cum Eccleſiæ præceptis & iuſſis majorum, ſeu Superiorum, æſtimandum eſt, quidquid ſit operis aduerſùs quodlibet eorum, id peccatum eſſe: leuius aut grauius tamen, pro inæquali peccandi modo, & pro diuersâ peccantium habitudine. Porrò reduci ad iuſſa ducimus Superiorum, diplomata ſeu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Chriſtianorum pace, concedi atque promulgari ſolita: per quæ ad confeſſionem peccatorum, & Euchariſtiæ ſanctæ ſumptionem, Chriſti fideles invitantur. Peccat ſiquidem non leuiter, quicumque tam pias Rectorum Eccleſiæ cohortationes, ſanctioneſque aſpernari audet, † D ac tranſgredi.

D D § ☞ Suarez supra Cap. 5. N. 14. & 15. docet, *illa duo verba: ASPERNARI AUDET, & TRANSGREDI, dupliciter accipi posse; coniunctim scilicet, ac divisim, & quidem si primo modo accipiantur - - - - contemnere consilia, & ex contemptu illa non servare grave peccatum est - - - - & hanc fuisse* existimat *Ignatii mentem.* Si verò divisim accipiantur verba illa, secluso contemptu, non observare illa *non videtur esse per se & ex obiecto ullum peccatum - - - - Tamen moraliter loquendo, si homo sciens & videns, ac directâ voluntate, illa omittat, vix fiet sine aliquâ culpa.* cujus sententiæ dat ibi rationes: & addit: *illud autem*, [*NON LEVITER, non debet in hoc sensu accipi pro peccato mortali, sed pro gravi & non contemnendo veniali.*]

EXAMINIS GENERALIS

A *Modus, † particulas seu puncta quinque complectentis.*

A § De hoc legendum Directorij Cap. 13. §. 6. & 8. ubi dicitur tradendum illud esse ab Instructore ei, qui exercetur, eodem die, quo traditur examen particulare.

PRimum punctum est, Domino nostro Deo, pro beneficijs acceptis, gratias agendas esse.

Secundum, quòd debemus pro cognitione, & expulsione peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis præsenti die peccatis, rationem ab animâ nostrâ exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primò quidem circa cogitationem: deinde circa loquelam, atque operationem, eodem ordine, quo in particulari examine traditum est.

Quar-

Quartum, poſcere veniam de delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratiâ emendationem: & orationem dominicam poſt dicta omnia recitare. Pater noſter.

Confeſſionis generalis & Communionis uſus. †

B §. De confeſſione Generali legendum Cap. 16. Directorij; de Communione verò Cap. 17. §. 2.

EX Confeſſione generali vltro factâ, inter alia pleraque, percipiuntur tria hæc emolumenta. Primum, quòd tametſi, qui annis ſingulis ſaltem confitetur ſemel, ad generalem hujuſcemodi confeſſionem minimè obligetur; eam tamen facienti ipſi multò plus commodi & meriti accedit, ob dolorem ſcilicet de peccatis, & malitiâ vitæ præteritæ, quem ita ſentit vehementiorem.

Secundum, quoniam inſpectâ, per ſpiritualem exercitationem, longè quàm anteà manifeſtiùs naturâ & malitiâ peccatorum, tantò amplius commodum ac meritum percepturus eſt.

Tertium, quia conſentaneum eſt, hominem ſic ritè confeſſum, atque diſpoſitum, multò meliùs ſe habere ad Euchariſtiæ ſumptionem, quæ maximè confert & ad fugam peccati, & ad gratiæ receptæ conſeruationem & augmentum.

Porrò generalis iſta confeſſio, poſt hebdomadæ primæ Exercitia potiſſimum erit opportuna.

PRI.

PRIMUM EXERCITIVM

A Meditandi † secundùm tres animæ potentias, circa peccatum triplex. Et continet orationem præparatoriam, duo Præludia, & Puncta tria præcipua, cum uno Colloquio.

A ¶ Hoc est primum Exercitium primæ hebdomadæ de quo vide Direct. Cap. 14. Posset etiam nunc legi id quod in hac explanatione positum est infra post modos tres orandi, de tribus generibus meditationum in hac primâ hebdomadâ.

ORatio præparatoria est, quâ petimus à Domino gratiam, ut vires atque operationes nostræ omnes, sincerè ad eius gloriam, & cultum tendant.

PRimum Præludium est, ratio quædam componendi loci. Pro quâ Notandum est, quòd in quavis meditatione, sive contemplatione de re corporeâ, ut puta de Christo, effingendus erit nobis, secundùm visionem quamdam imaginariam, locus corporeus, id quod contemplamur, repræsentans, veluti templum, aut mons; in quo reperiamus Christum IESVM, vel MARIAM Virginem, & cetera, quæ spectant ad contemplationis nostræ argumentum. Sin autem speculationi subest res incorporea, ut est consideratio peccatorum nunc

oblata; poterit loci constructio talis esse, ut si per imaginationem cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili, velut in carcere constrictam: hominem quoque ipsum, in hac miseriæ valle, inter animalia bruta exulantem.

Secundùm erit *Præludium*, ut à Domino id postulem, quod exopto, iuxta propositæ contemplationis argumentum: nimirùm si de Christi resurrectione fuerit meditandum, petenda erit lætitia, quâ gaudenti Christo congaudeam: sin de passione; lachrymas, pœnas, & angores petam, ad compatiendum Christo patienti. In præsenti ergo meditatione, pudorem confusionemque mei ipsius debeo exposcere, attendens quàm multi homines ob peccatum mortale, vel unicum, damnati fuerint; & quòd ego toties peccando sim damnationem commeritus.

NOtandum ad hæc, quòd omni meditationi, seu contemplationi, præmitti debent tam Oratio præparatoria, quàm Præludia duo: sed Oratio quidem semper fit eodem modo, Præludia verò pro diversitate rerum sunt diversa.

PRimum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commissum; adhibito statim discursu intellectûs, atque voluntatis motu, instigante me ad voluenda, & intelligenda ea, per quæ erubescam, & confundar totus, factâ unius tantùm peccati Angelorum, cum tot meis comparatione:

Unde

Vnde colligere liceat, cùm illi ob unicum crimen addicti sint inferno, quàm sæpè ipse supplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primùm in statu gratiæ, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem,) non volentes per arbitrij libertatem, Creatori suo reuerentiam, & obsequium præstare, at contra eum ipsum insolescentes, conuersi fuerint ex gratiâ, in malitiam, & de cælo ad infernum præcipitati. Consequenter discur-

B rendum erit † per officium intellectûs circa hæc pensiculatiùs, necnon concitandis simul

B ✠ Facilis erit ille discursus, si notaveris, esse hîc materiam & casum primi Puncti, quod jam in fundamento consideravimus. Angeli enim ad eumdem finem creati erant, ad quem homines conditi sunt. Quo notato, copiosum erit argumentum ratiocinandi, vel de Angelis, vel de nobisipsis: præsertim si verba, quibus S. P. N. describit Angelorum supplicium bene expendantur. Quomodò scilicet tam turpiter deserentes finem, ad quem tendendum erat, ut salvi fierent: mox *conversi fuerint ex gratiâ in malitiam, & de Cœlo ad Infernum præcipitati.*

C voluntatis affectionibus † acriùs insistendum. Secun-

C ✠ Iuverit hîc breviter non nihil annotare de operatione voluntatis, quam utiliter præcedit semper actus fidei de Mysterio credendo.

Operatio, igitur, *motio*, *passio*, *affectio*, voluntatis est duplex. Una est, voluntatis *concupiscentis bonum* sive *concupiscibilis*. Altera est, voluntatis *irascibilis*, & auersantis *malum*.

Quando *bonum* est *absens*, voluntas desiderat, anhelat, sperat.

sperat, confidit, media adipiscendi quærit, magnanimitatem exercet in aggrediendo etiam ardua, constantiam & fortitudinem in promouendo, & plura his similia vult & decernit.

Quando *bonum* est *præsens*, gaudet, gratulatur sibi, gratias agit, exultat, gloriatur, illud amat, amplectitur, adorat, reveretur, in illo quiescit, conatur illi placere, laudat illud, præ gaudio & pace etiam alijs est comis, benigna, & mansueta, & plura his similia.

Quando *malum* est *absens*, voluntas illud vituperat, aversatur, timet, abominatur, fugit, circumspicit omnia, etiam tuta timet, ne à malo occupetur; munit se contra illud; subsidia conquirit; animos colligit, & arma, ut se contrà illud defendat, &c.

Quando *malum* est *præsens*, dolet; irascitur; indignatur; odit illud; sese deprimit, & humiliat; pudet illam suæ ignaviæ, tædet, pænitet; accusat se; damnat; vindictam de se spirat, & sumit; deprecatur culpam; implorat misericordiam, &c.

Nota 1. circa *bonum*, vel *malum absens*, posse suo modo exerceri affectus quosdam, qui versantur circa *præsens*: veluti amoris, laudis, odij, vituperij, &c.

Nota 2. circa amissionem boni tamquam circa rem malam posse exerceri affectus voluntatis *irascibilis*: quemadmodum circa liberationem à malo possunt exerceri affectus voluntatis *concupiscibilis*.

Nota 3. rei cuipiam, vel bonæ, vel malæ, posse accidedere & coniungi varia: quorum alia sint bona; alia sint mala. Exemplum sit, Passio Christi Domini. Eius ratio, & quasi causa *materialis* peccatum scilicet, est mala. Causa verò *formalis*, misericordia Dei, est bona. Causæ efficientes cruciatuum, Iudas, Iudæi, &c. fuere malæ. Causa finalis, redemptio nostra, fuit bona. Vicissim rei malæ, veluti peccato, accidunt & conjunguntur, quædam quæ bona sunt. Hinc canit Ecclesia: *O! felix culpa!* propter redemptionem scilicet secutam. Ex quibus patet, quomodo voluntas, occasione unius rei, possit variè affici, ob varia, quæ illi conjunguntur.

Pluribus non videtur opus, ut possit deinceps dirigi operatio voluntatis.

SEcundum est punctum, easdem potentias tres, circa peccatum primorum parentum (quod secundum appellabimus) exercere: tractando memoria, quàm diuturnam ob illud pœnitentiam egerunt: quanta humanum genus corruptio inuasit: quot hominum millia ad inferos deturbata sunt. Memorandum est videlicet, quomodo Adam in Damasceno campo, de limo terræ factus, positusq; in terrestri Paradiso, & Eua formata ex unâ costarum eius, cùm de fructu arboris scientiæ boni & mali, prohibiti essent comedere, & nihilominùs comedissent: post peccatum subitò ex Paradiso ejecti sint: vestibus pelliceis induti, & originali iustitiâ priuati, reliquum vitæ suæ tempus, in laboribus, ac ærumnis maximis, pœnitendo traxerint. Super his etiam ratiocinio intellectûs, † & affectibus volũtatis utendum erit, sicut priùs.

D Ter-

D ✠ In 2. puncto. Non tantùm habes materiã primi illius puncti traditi in fundamento, de laude, reverentiâ, & obsequio Creatori Deo præstando: sed præcipuè etiam ob oculos versatur argumentum reliquæ fundamenti partis, quæ ad usum rerum propter hominem creatarum pertinet. Quidquid enim de animi erga cætera omnia æquilibrio; quidquid de rebus eligendis, ratiocinando in fundamento conclusimus, id omne huc referri potest, quando videmus primum nostrum parentem, tam perverso rerum creatarum usu, & se, & posteros suos in tantas miserias, tantaque mala pertraxisse: quæ mala S. P. N. paucis complectitur, multa relinquens Meditationi nostræ.

Tertium est, † ut exerceamur pari modo, circa E peccatum mortale, & particulare quodlibet (ipsum nos tertium peccatum dicemus, ut à duobus suprà positis distinguatur) considerãdo, quòd peccato tali, vel semel dumtaxat commisso, fortè detrusi sint multi ad infernum: quodq; præterea propè innumeri, ob delicta meis pauciora atque leviora fortè crucientur æternis pœnis. Unde memoriâ versandum erit, quãta sit peccati gravitas & malitia, Deum omnium Conditorem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque † F est, supplicium æternum peccato justè irrogari, utpote adversùs infinitam bonitatem Dei perpetrato. Postremò suscitandi sunt affectus, sicut iam dictum est. Collo-

E § In 3. Puncto. Proponitur peccatum admissum ab homine in statu naturæ lapsæ. Nam prima duo admissa sunt ab ijs, qui erãt in statu naturæ integræ.

In hoc Puncto, distinguenda sunt exercitia memoriæ, & intellectûs. Ad memoriæ officium pertinet illud: quod tali peccato, *vel semel dumtaxat commisso, fortè detrusi sint multi ad Infernum; quodq; præterea propè innumeri, ob delicta meis pauciora, atq; leviora fortè crucientur æternis pœnis.* Hæc enim formam quamdam historiæ præseferunt: reliqua spectant ad munus intellectûs.

F § Duplex sequitur ratiocinatio intellectûs. Prima de peccati malitiâ; quæ desumitur potissimùm ex consideratione personæ offensæ. Considerãdum enim offendi *Deum omnium Conditorem, atq; Dominum.* Ad quæ verba revocari iterum in memoriam possunt ea, quæ de Deo Creatore & Domino nostro in fundamento contemplati sumus.

Ex primâ ratiocinatione facilè venitur ad secundam, quæ est de

est de gravitate pœnæ & supplicij. Quæ enim pœna digna excogitari potest scelere hominis, qui ipsemet sempiternam salutem, sibi oblatam (quippe ad quam vocatur & factus est) repudiat, & à se pessimâ voluntate abijcit? Sed nihil æque clamat supplicium æternum peccato deberi, quàm bonitas illa infinita, in quam peccatur.

Hæc si consideres, & ad teipsum identidem redeas, non poterit non voluntas moveri, & in optimos ac salutares affectus se profundere.

COlloquium fiet imaginando IESUM Christum coram me adesse, in Cruce fixum. Itaque G exquiram mecum rationem, † quâ Creator ipse infinitus, fieri H creatura, † & ab æterna vitâ ad temporariam mortem venire, pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper me ipsum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo? quid agam tandem, aut agere debeam? Et in eum intuens sic cruci affixum, ea proloquar quæ suggeret mens & affectus. Porrò

G § Considerari potest, quod ejus rei ratio seu causa quasi materialis est, peccati magnitudo tanta, ut nullus, qui Deus non esset, posset pro injuriâ illatâ Deo satisfacere.

Causa formalis fuit, non meritum ullum nostrum, sed sola Dei bonitas atq; clementia. Causa instrumentalis fuit, Incarnatio, Passio, & Mors CHRISTI. Causa finalis fuit, ut habetur 1. Cor. 1. *Iustitia, & sanctificatio, & redemptio nostra*: ut nos, qui tanquam oves aberraveramus à fine, & viâ salutis, iterùm in viam reduceremur. Cætera videntur esse satis plana.

H § ☞ De hoc modo loquendi agit Suarez suprà Cap. 5. N. 16.]

De Colloquijs, juverit legere id quod subjicitur Cōtemplationi primæ, hebdomadæ 3. & Direct. Cap. 15. §. 5. 6. & 7.

Opportunum quoque erit sub initium primæ hebdomadæ legere

legere Annotatio: 9. & 10. item 6, 7. 8. & 11. ex 20.

Legendæ sub initium quoq; sunt Additiones, quæ infra ponuntur in libro Exercitiorum.

rò Colloquii proprium illud est, ut fiat sicut amici sermo ad amicum, vel servi ad Dominum, nunc gratiæ aliquid petendo: nunc culpam aliquam meam incusando: interdum propria quælibet communicando, ac petendo consilium super illis, sive auxilium. Ultimò dicatur. *Pater noster*.

II. EXERCITIVM,

Est Meditatio de peccatis, complectens ultrà Orationem præparatoriam, & duo Præludia, quinque articulos, seu Puncta, cum Colloquio ad finem.

PRæparatoria Oratio eadem quæ suprà.

Prius præludium eamdem exigit constructionem loci, ut in præcedenti meditatione.

Posterius verò fiet, poscendo id, quod hîc quærimus, dolorem scilicet intensum de peccatis, atque abundantem fletum.

PUnctum primum, † sit processus quidam, per quem peccata totius vitæ in memoriam revocantur, percursis gradatim discussisq; annis, & spatiis temporum singulis. Quâ in re, triplici juvamur compendio; consideratis videlicet locis habitationis nostræ, conversationum modis

A § Legendus §. 1. Cap. 15. Directorij, ubi est utilis monitio pro eo qui meditatur, ne in hoc puncto faciat exa-

modis; & officiorum seu negotiorum, quibus functi sumus, generibus diversis.

examen quasi pro confessione. *Sed in genere tantùm proponat sibi sua peccata.*

SEcundum est, peccata ipsa perpendere, quanta sit fœditas & nequitia singulorum ex naturâ suâ, B si vel prohibita † non essent.

B ſ Non intelligitur illa prohibitio, quæ à lege naturali oritur. Quin imò fœditatem, & nequitiam singulorum *ex naturâ suâ* S. P. N. vult cognosci; ut vel sic à peccatis abhorreamus, quamvis aliâ lege positivâ prohibita non essent, neque statutæ pœnæ tam graues, & sempiternæ ijs, qui peccati rei essent. Porrò *fœditas*, horroris & pudoris; *nequitia*, miseriarum, suppliciorumque est causa. Posset hæc fœditas & nequitia considerari in septem peccatis capitalibus, alijsq;.

TErtium est, considerare me ipsum quisnam aut qualis sim; additis exemplis, quæ me in majorem mei contemptum trahant: ut si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium cœtum comparatus; quid deinde sit multitudo universa mortalium, si cum Angelis, Beatisque omnibus conferatur: post hæc attendẽdum est, quid rei sit tandem, quidquid est creatum, præ ipso Deo Creatore: Iam quid homuncio ego unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atq; corporis fœditatem, ac me tamquàm ulcus sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit.

QVartum est, cogitare quid sit Deus, quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis Deo, ut proprijs, cum oppositis meis vitijs atque defectibus: summam scilicet eius potentiam, sapientiam, bonitatem, & iustitiam, cum extrema meâ infirmitate, ignorantiâ, malitiâ, & iniquitate conferendo.

QVintum, In exclamationem prorumpere, ex commotione affectûs vehementi; admirando valdè, quomodo creaturæ omnes (discursu facto per singulas) † me sustinuerint tamdiu, & hucusq; vivũ servaverint: quomodò Angeli, divinæ justitiæ gladium ferentes, æquo me animo tulerint, custodierint, suisq; etiam juverint suffragijs: quomodò pro me intercesserint Sancti: quomodo cœlum, sol, luna, & alia sidera, elementa, cunctaq; animantium genera, & terræ germina, debitæ vindictæ loco, mihi servierint: ut quo denique modo non absorbuerit me dehiscens tellus, & mille infernos reserans, in quibus perpetuas pænas daturus essem.

C § In quinto Puncto perpẽdi potest, quomodo res illæ, quæ factæ erãt, ut ijs uterer ad finẽ meum prosequendum, & quibus tam turpiter abusus fui, quasq; proinde æquum fuisset vindictam de me sumere, mihi nihilominus serviverint. &c.

TErminanda demum erit hæc meditatio per colloquium, extollendo infinitam Dei misericordiam, gratias pro viribus agendo, quod vitam ad hunc usque diem prorogauerit: unde propositã in futurum mei emendatione, recitabo semel *Pater noster.*

III.

III. EXERCITIVM

Non erit aliud, quàm repetitio primi, & secundi, unà cum tribus colloquiis.

POst præparatoriam orationem, & duplex Præludium, repetenda erunt præcedentia duo exercitia, † notatis punctis, seu locis, in quibus majorem sensimus consolationem, desolationem, aut aliam quamcumque spiritualem affectionem: ac illis diutiùs, diligentiusq; immorandum erit. Deinde occurrente nobis spirituali motu, ad colloquia, quæ sequuntur, tria veniemus.

A ∫ De repetitionibus meditationum vide Direct. Cap. 15. ∫. 2. & 3. infra quoq; in Explanatione, quædam de repetitionibus notabimus, veluti ad quintam diem hebdomadæ secundæ.

COlloquium primum fit ad Dominam nostram, Christi Matrem, flagitando intercessionem eius apud Filium, & gratiæ impetrationem nobis tripliciter necessariæ. † Primò, ut internam criminum nostrorum cognitionem, ac detestationem sentiamus. Secundò, ut operum nostrorum agnoscentes, abhorrentesq; ordinem perversum, correcto eo, nosmetipsos secundùm Deum rectè ordinemus.

B ∫ Nonnihil de gratiâ tripliciter necessariâ, quæ in colloquio petitur, dicendum est.

Et primò quidem utrobique postulatur gratia, non tantùm quâ juvetur intelle-

mus. Tertiò, ut perspectâ & damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis ac vanis nos recipiamus. His expletis semel recitetur *Ave Maria.*

tellectus; sed etiam, quâ moveatur voluntas. Ad intellectum pertinet: *cognoscere, agnoscere, perspicere:* ad voluntatem verò: *detestari abhorrere, damnare.*

Prima gratia versatur circa peccati malitiam, quam jam in Exercitijs prioribus consideravimus.

Altera refertur ad operum nostrorum perversum ordinem corrigendū: quæ correctio ad nullam aliam regulam meliùs potest exigi, quàm ad finem, ob quem conditi sumus.

Tertia deniq; utilis est, ad fugiendas mundi huius vanas & pravas spes ac cupiditates. Vanum siquidem esse vidimus in fundamento, quidquid ad finem, cujus causâ factū est, non dirigitur.

Quòd verò S. P. N. tam studiosè in hoc, & in pluribus deinde colloquijs, doceat nos implorare Patrocinium Beatæ Virginis: quòd toties in meditationibus memoriam ejusdem suscitet; quòd in tertiâ hebdomada ejus dolores, in quartâ ejus gaudia proponat contemplanda; quòd in tribus orandi modis, ad virtutes ejus imitandas invitet, eamdemq; salutandi & invocandi formulas menti revolvendas objiciat; quòd deniq; tot modis cultum venerationemq; Matris Dei promoveat, non mirabitur ille, qui legerit, B. Ignatium, postquam in monte Serrato *ante Aram Beatæ Virginis suspensis armis noctem excubans, sacræ militiæ tyrocinium* posuisset, inde, plenum zelo pro honore ejusdem Virginis Matris, secessisse Manresam, in quo secessu, per annum commoratus, hunc admirabilem Exercitiorum librum composuit.

SEcundum colloquium fiat similiter ad Christum Dominum, & Mediatorem nostrum, ut illa eadem nobis impetret ab æterno Patre. Subdetur in fine oratio, quæ incipit: *Anima Christi.*

Terti-

TErtium eodem processu faciendum est ad Deum Patrem, ut triplicem illam gratiam nobis largiatur, & in fine semel recitandum *Pater noster.*

IV. EXERCITIVM

Conficitur ex tertii repetitione.

POnitur repetitio eiusmodi, veluti quædam eorum ruminatio, quæ meditatus sum in Exercitijs prioribus, ut ea continuè reminiscendo, discurrat faciliùs intellectus sine divagatione. Adjicienda quoque erunt tria eadem colloquia.

V. EXERCITIVM

A *Est contemplatio de inferno, † continetq; ultrà Orationem præparatoriam, & duo Præludia, Puncta quinque. & unum Colloquium.*

A § Vide Directorium Cap. 14. §. 1. ubi notatur, quod si fiant tantùm quatuor exercitia unius horæ per diem, hæc contemplatio differenda sit in sequentem diem.

Hoc Exercitium habet speciem applicationis sensuum; quam S. P. N. in 2. Hebdomadâ in ultimo diei Exercitio faciendam tradit.

Selegit verò ad hanc ex antecedentibus ejusdem diei Meditationibus rem quamdam præcipuam, & Exercitio huic aptam; supplicium videlicet illud sempiternum peccato, ut vidimus, jure debitum: quod supplicium, ut altiùs animo insideat, per quinque sensus funditùs scrutandum proponit.

Studendum verò in hoc Exercitio (ſicut S. P. N. præcipit in 2. Hebdomadâ, ubi agit de applicatione ſenſuum) ut ſingula nobis adaptemus. Nam applicatio ſenſuum non eſt ſejuncta ab omni Meditatione, ut notat Direct. Cap. 20. Subjiciemus igitur hîc ſpecimen aliquod breve, ad quod deinde componi poſſint Meditationes aliæ, in quibus ſenſus applicantur cuicumque materiæ.

ORatio præparatoria non differt à ſuperiore.

Prius præludium, hic habet compoſitionem loci, ſubiectâ oculis imaginationis, inferni longitudine, latitudine, ac profunditate. Poſterius verò, conſiſtit in poſcendâ intimâ pœnarum, quas damnati luunt, apprehenſione, ut ſi quando me ceperit diuini amoris obliuio, ſaltem à peccatis ſupplicij timor coerceat.

PUnctum primum † eſt, ſpectare per imagi nationem vaſta inferorum incendia, & * animas, igneis quibuſdam corporibus, velut ergaſtulis incluſas. B *g

B ſ Cernebamus in Præludio Exercitii 1. huius diei, *animam noſtram in corpore iſto corruptibili, velut in carcere conſtrictam.* Ah! quãtò ſunt ergaſtula illa ignea horribiliora! Ferendus igitur pro peccatis meis patienter eſt carcer, in quo nunc ſum, & faciendus fructus dignus pœnitentiæ, ne in iſta ignea ergaſtula conijciar.

SEcundum, † audire imaginariè, planctus, ejulatus, vociferationes, atq; blaſphemias in Chriſtum, & Sanctos ejus, illinc erumpentes. C

C ſ Creatus eſt homo, ut laudes Dei Conditoris ſui æternùm canat & audiat. Quàm acerbum erit, pro ſuaviſſimis illis Cælitum vocibus

vocibus, nonnisi horridas illas blasphemias, desperationis plenissimas auribus haurire! Potiùs igitur nunc *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*, Psal. 33. ne veniam ad locum illum, ubi *erit fletus, & stridor dentium*. Matth. 8.

D TErtium, † imaginario etiam olfactu fumum, sulphur, & sentinæ cujusdam seu fæcis, atque putredinis graveolentiam persentire.

D ∫ Meipsum in 2. huius diei Exercitio aspexi, *tamquam ulcus, sive apostema - - - ex quo tanta sanies peccatorum, tantaq; vitiorum lues* defluat Quanta igitur ibi erit graueolentia, ubi sceleratorum omnium tanta erit colluvies! Nempè corrumpi & putrefieri necesse est, quidquid à fine suo, & ab illo statu dimovetur, qui ei à naturà, sive à Deo attributus est.

E QUartum, † gustare similiter res amarissimas, ut lacrymas, rancorem, conscientiæque vermem.

E ∫ An non damnati illi dicere poterunt cum Ionatha, 1. Reg. 14. *Gustas gustavi - - - paululũ mellis*, brevissimam scilicet & vanam voluptatem, *& ecce morior*, & in amaritudinis pelagus delapsus sum. *Scito & vide, quia malum est, &* AMARUM, *reliquisse te Dominum Deum tuum*, Ierem. 2.

F QUintum, † tangere quodãmodò ignes illos, quorum tactu animæ ipsæ amburuntur Col-

F ∫ Nempe. qui tetigerint aliquid creatũ, de quo Deus dixit, *ne tangeremus illud*, Gen. 3. *pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure*, Apoc. 21 Et quisquis ibi erit, clamabit: *Quia crucior in hac flammâ*, Luc. 16 Sequar igitur Apostoli consilium ad Coloss. 2. *Ne tetigeritis, neq; gustaveritis, neq; contrectaveritis, quæ*

sunt

sunt omnia in interitum ipso usu. Ipso, inquam, usu, quando utimur re quapiam creatâ, eamque eligimus tunc, cùm obest ad prosequendum finem nostrum.

COlloquendo † interim cum Christo, in memoriam adducendæ erunt illorum animæ, qui ad inferni pœnas damnati sunt, vel quia credere noluerunt adventum Christi; vel licet crederent, non tamen conformem præceptis ejus vitam exegerunt: idq; vel ante adventum Christi, vel eodem tempore, quo vixit Christus in hoc mundo, vel post illud deinceps. Gratiæ postremò agēdæ sunt eidem Christo quàm maximæ, quod in tale quodpiam exitium non permiserit me corruere, sed potiùs ad hunc usque diem summâ pietate, & misericordiâ me prosecutus sit. Finis imponetur, dicto *Pater noster.*

G ∫ In Colloquio, singulæ partes prout ponuntur, diligenter animo sunt versandæ. Nam in illis via sternitur ad 2. Septimanam recordando adventũ, doctrinam, & exēplum vitæ Christi. Cæterùm materia ipsa Colloquii videtur satis clarè esse proposita.

Si visum erit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adijcere, † ut de morte, ac aliis peccati pœnis, de judicio, &c. non se putet prohiberi, licet hîc non adscribantur.

H ∫ In primâ hâc hebdomadâ desiderantur Meditationes aliquot. Nam quinque, quæ ibi proponuntur Exercitia, uno die peragi possunt. Sed. S. P. N. indicat brevissimè materiam plurium Meditationum, *ut de morte, ac aliis peccati pœnis, de Iudicio* &c.

Et mors quidem est pœna peccati: nam *per peccatum mors*

Exer-

mors, Rom. 5. Ad alias vero peccati pœnas cognoſcendas, uſui in primis eſſe poſſent exempla, quæ leguntur in ſacris litteris: veluti ſupplicium Cain ob homicidium, *Gen.* 4. Diluvium, *Gen.* 7. Sodomorum incendium. *Gen.* 19. Pharaonis & Ægypti plagæ, *Exod.* 7. 8. &c. Pœna mortis, lapidationis, ignis. &c. conſtituta in tranſgreſſores 4. & 6. Præcepti, *Levit.* 20. Pœna blaſphemorum, & talionis. *Levit.* 24. Pœna in murmurantes, *Num.* 9. Lapidatio eius, qui Sabbatum violat, *Num:* 15. Core, Dathan & Abiron ob ſeditionem vivi abſorpti, & ſeptingenti ſupra quatuordecim millia, murmurantes conſumpti incendio, *Num.* 16. & eiuſmodi plura.

His poſſunt addi Meditationes de Pœnitentiâ non verâ, Antiochi, Iudæ, &c. Item de Pænitentiâ ſincerâ Davidis, Mariæ Magdalenæ, Petri, &c. De iuſtitiâ item, vel de miſericordiâ Dei. Magnam quoque materiam meditandi præbent Pſalmi Pœnitentiales, & plurimi, iique pulcherrimi aliorum Prophetarum loci. Huc facit etiam Parabola nota Filij prodigi. Neque omittenda conſideratio peccatorum venialium, & ignis, quo illa purgantur.

At de judicio Chriſtus ipſe copioſum nobis ſuppeditat argumentum: nam locum hunc Euangeliſtæ diligenter tractarunt.

Hæc ſatis ſit indicâſſe. Nam quæ ſibi quiſque ſelegerit, & digeſſerit, ex eis ferè non modò guſtum; ſed fructum etiam maiorem percipiet.

Quod ſi quis materiam aliquot meditationum primæ hebdomadæ optet paulò ampliorem; inveniet illam infra poſt modos tres orandi, ante vitæ D. N. IESV Chriſti myſteria.

De addendis meditationibus vide etiam Directorium Cap. 15. §. 4. & Cap. 14. §. 1.

De fine autem primæ hebdomadæ vide Directorium Cap. 17. §. 1. & Cap. 18. §. 1.

Exercitiorum verò tempus ita diſtribuendum eſt, ut primum eorum fiat in mediâ nocte, ſecundum manè ſimul ac ſurrexerimus; tertium ante,

vel

vel poſt Miſſæ ſacrum, nondum ſumpto cibo; quartum, circiter horam veſperarum; quintum, horâ ante cœnam. Quæ temporis diſtributio, ſingulis quatuor hebdomadis communis eſt: variari tamen poteſt, atq; augeri vel minui, prout unicuique, ad peragenda dicta quinque Exercitia, ætas, animi, corporiſq; diſpoſitio, ſive naturæ ipſius complexio ſubſervit.

ADDITIONES † A

A § Additiones omnes, tam huius ſeptimanæ, quàm ſequentium, ſunt attentè legendæ, & perdiligenter ſervandæ. Agit de his Directorium Cap 15. §. 8. & 9. & Cap. 3. §. 1.

Memoria verò refricanda Annotationis 6. inter 20.

AD EXERCITIA

Melius agenda, & ad ea quæ optantur invenienda, perutiles.

PRima eſt, ut ego, poſt cubitum, ante ſomnum, modico temporis ſpatio, quo recitaretur ſemel Angelica ſalutatio, * cogitem de horâ, quâ ſurgendum mihi erit, & de Exercitio faciendo. † *h B

Secun-

B § In correctione ex autographo habetur: *Exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.*

Nemo hanc Additionem parvi pendat, aut negligat. Major enim, quàm credi poteſt, ex eâ vis ſpiritui accedit ad meditationem cum fructu tractandam: per hanc enim additionem, materia meditationis antè præparata, brevi compen-

compendio, in unum colligitur: per hanc eadem materia instar fermenti absconditur *sub farinæ satis tribus*, hoc est, sub tribus animæ potentiis, ut sequenti die, tota anima fermentetur: per hanc, ignis ille, qui, dum meditatio in ordinem redigebatur, cœperat emicare, & accendi, quasi in parvum cumulum congregatur, & obscuro cinere quietis nocturnæ tegitur, ut deinde depulsâ caligine, exardescat in meditatione luculentus ignis. Indormiendo denique eiusmodi cogitationi optimè concluditur dies transactus, & succedente congruâ manè cogitatione, de quâ agitur in Additione proximâ, dies omnes perpetuo quodammodo meditationum nexu coniunguntur inter se, necessario ijs interposito somno, ad seriem hanc restauratis viribus fortiùs adstringendam potius, quam ad interrumpendam. Quapropter numquam hæc additio omittenda est.

Quisquis enim eam omittet, metuo, ne pronum quoque se sentiat ad præparationem meditationis vespertinam, & congruam cogitationem matutinam, aliasque additiones negligendas: atque ita meditatio, suis quasi nervis destituta, haud multum virtutis haberet ad spiritum roborandum.

Sed ne quis vel multitudine, vel molestiâ quadam Additionum deterreatur, uniuersè de omnibus dico, incipientibus quidem attentione aliquâ, & curâ animi opus esse, paulatim tamen earum usum facillimum evadere, breviq; tempore consuetudinis ac naturæ vim quamdam acquiri.

SEcunda, ut expergefactus, statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediæ noctis exercitio contemplaturus sum: Utque, majoris verecundiæ, & confusionis gratiâ, exemplum mihi hujusmodi proponam: Quomodò miles aliquis staret coram Rege suo & cœtu aulico erubescens, anxius & confusus, qui in Regem ipsum acceptis ab eo priùs beneficijs

neficijs doniſq; plurimis ac magnis, graviter deliquiſſe convictus eſſet. In ſecundo itidem Exercitio, reputans quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum eſſe, ac protinùs ſiſtendum coram ſummo judice, ſicut mortis reus quiſpiam, ferreis ligatus compedibus, duci ad tribunal ſolet. His igitur, vel aliis, † pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, veſtitu meo me induam.

C ſ Alias atque alias ejuſmodi cogitationes facilè concipies, ſi conſideraveris exẽpla Regis, Domini, Patris, Benefactoris, Magiſtri, Iudicis, Medici, &c. Quæ omnia nomina ab Aulico, Milite, Domeſtico, Famulo, Mancipio, Filio, Mendico, Diſcipulo, Reo, Ægro, &c. per varia ſcelera fuerunt turpiter violata: quibus debetur carcer, publica infamia, ejectio ex Aula, Domo, Civitate, & exilium, dejectio à Nobilitate, graviſſima ſupplicia verberum, ignis, rotarum, mortis &c. imò, quibus, poſt latam ſententiam, hæc ipſa ſupplicia jam ſunt infligenda vel infliguntur, cum exprobratione temeritatis, ſocordiæ, negligentiæ, ingratitudinis, dementiæ. &c.

Et hæc quidem de cogitationibus ſpectantibus ad argumenta meditationum primæ hebdomadæ: ſed ut de ejuſmodi cogitationibus (quas congruas, aut matutinas, aut convenientes poſſumus vocare) ſemel dicamus: mirum eſt, quàm accuratè & diligenter S. P. N. in ſingulis hebdomadis annotet, quomodò debeant mutari. Ex quo concludas cogitationem illam congruam, eſſe magni momenti nec umquam omittendam, ſicut proximè innuebamus lit. B. ſed quando pridiè veſperi præparatur meditatio, ſive in ſeceſſu Exercitiorum, ſive extra illum, ſemper obſervandum eſt, ad quam hebdomadam pertineat materia meditationis, ut ſequenti die manè congrua illa cogitatio habeatur.

Hæc verò cogitatio non eſt pars meditationis, ſed aliquid prævium. ſicut enim antequam inquiramus drachmam perditam, accendimus Lucernam; ita etiam, ut inquiramus, & ſequ-

ſcrutemur in meditatione teſtimonia & myſteria Dei, per illam Cogitationem antè accendimus lucernam mentis noſtræ: & ex igne illo, quem pridie quaſi ſcintillantes carbones poſt meditationis præparationem, ſub cinere per noctem integram ſepelivimus, ſomni tenebrarumq; cineribus diſcuſſis, lumen elicimus quo intellectus illuminetur, & voluntas inflammetur, ad quærendum in meditatione Deum, & inveniendum illum, atq; invocandum, quia inveniri ibi poteſt, & meditatio, & *Dominus* in eâ *propè eſt*.

D TErtia, ut à loco futuræ meditationis, uno, vel gemino adhuc paſſu diſtans, † per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica poſſet, animo ſurſum eleuato, conſiderem Dominum meum IESUM, ut præſentem, & ſpectantem, quidnam acturus ſum, cui reverentiam cum humili geſtu exhibere debeam.

D ſ Neceſſe erit legere, *quintum* quod S. P. N. poſt applicationem ſenſuum *notat* in ſecundâ hebdomada, ut ſciamus, quæ præparatio requiratur ad Exercitia, quæ fiunt extra noctem & auroram.

QVarta eſt, ut ipſam aggrediar contemplationem, nunc proſtratus humi, & pronus, aut ſupinus jacens, nunc ſedens, aut ſtans, & eo me componens modo, quo ſperem faciliùs id conſequi, quod opto. Ubi adverti hæc duo debent: Primum, quòd ſi flexis genibus, vel in alio quovis ſitu, voti compos fiam, nil requiram ultra. Secundum, quòd in puncto, in quo aſſecutus fuero quæſitam devotionem, conquieſcere debeo ſine tranſcurrendi anxietate, donec mihi ſatisfecero.

QVinta, ut completo Exercitio ſedens, vel deambulans, per quartam circiter horæ partem, mecum diſpiciam, quònam modo meditatio, ſeu contemplatio mihi ſucceſſerit. Et ſi quidem malè, inquiram cauſas, † cum pœnitudine, ac emendationis propoſito: ſin verò benè, gratias Deo agam, eumdem poſteà modum obſeruaturus.

E ſ Cauſæ, inter cæteras hæ poſſent hîc conſiderari. Non benè meditationem præparâſſe contrà Notand. 3. hebdom. 4. & Annot. 2. inter 20. Exercitium non feciſſe præſcripto tempore & modo: Additioneſq; cunctas non diligenter obſervâſſe, contrà Annot. 6. ibid. Integram horam non expleviſſe; aut deſolatione incidente tempus ultrà non produxiſſe, contrà Annot. 12. & 13. ibidem. Additio autem hæc, quâ jubemur diſpicere, quomodò meditatio ſucceſſerit magnæ eſt utilitatis, nec umquam omittenda.

SExta, ut cogitationes quæ gaudium afferunt, qualis eſt de gloriosâ Chriſti reſurrectione, ſubterfugiam: quoniam talis quælibet cogitatio impedit fletum & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus eſt, adſcitâ potiùs mortis vel judicij recordatione.

SEptima, ut eamdem ob cauſam, omni me privem lucis claritate, ianuis ac feneſtris clauſis tantiſper, dum illic moror, niſi quamdiu legendum, aut veſcendum erit.

OCtaua, ut à riſu, verbiſque riſum provocantibus, maximè abſtineam.

NOna, ut in neminem oculos intendam, nisi salutandi aut valedicendi poscat occasio.

F DEcima, † ut aliquam addam satisfactionem, seu pœnitentiam. Quæ quidem in interiorem & exteriorem dividitur: Interior est, dolor de proprijs peccatis, cum firmo proposito cavendi, tum ab illis, tum ab alijs quibuscvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis, quæ tribus potissimùm modis assumi potest.

F § In hac Additione S. P. N. 1. Duplicem explicat satisfactionem, sive pœnitentiam: interiorem, & exteriorem. 2. Triplicem tradit modum exterioris pœnitentiæ: circa victum, circa somnum, & circa ipsam carnem. 3. Triplicem pœnitentiæ exterioris ponit finem, sive effectum: victoriam sui; gratiæ cujusdam impetrationem; & dubij alicujus resolutionem. 4. Docet modum variandi pœnitentias per intervalla, ut finem quæsitũ consolationis assequamur. 5. Docet modum, quo mensuram pœnitentiæ invenire possimus nobis accommodatam. Ex quibus patet, quantus thesaurus lateat in hac additione.

Primò circa victum, subtractis quibusdam non superfluis solùm (quod temperantiæ est, non pœnitentiæ) sed etiam convenientibus alimentis:

G Et eò fit meliùs, quò plùs subtrahitur, † vitatâ interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, eu infirmitate. Secundò circa somni & strati modum, sublatis non mollibus tantùm, aut deliciosis rebus, sed alijs etiam opportunis, quan-

G § Similia habentur Reg. 4. de victu temperando. *Quantò plùs de convenente victu sibi quis ademerit ... tantò celeriùs & ibi*

ibi tamen & hic cavetur grave infirmitatis periculum. Item Reg. 7 de distribuendis Eleëmosynis: *Optimum ac securissimum est ... ut suæ subtrahat cōmoditati, quantum potest.* Item in fine hebdomadæ 2. de emendatione vitæ faciendâ: *hoc enim unusquisq; persuasum habeat, tantùm se in studijs spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit.* Hic est spiritus Sanctorum, conformis Regulæ 12. Summarii, per quā nostri debent *quærere in Domino maiorem sui abnegationem. &c.* vide Reg. 4. de victu, & hîc lit. I.

quantum licet, citra vitæ aut valetudinis grave periculum. Quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consuetudinem (si cui est nimij somni) moderandam. Tertiò circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis, gestatisque cilicijs, funibus, aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus, ac plagis, vel alijs austeritatis generibus assumptis. In quibus tamen omnibus magis excedire videtur, ut doloris sensus in carne tantùm sit, nec penetret ossa cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimùm utemur ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeò interiores, ut valetudinem adversam causare possint. Notanda sunt insuper quatuor hæc.

Circa pœnitentiam, Primùm, quòd pœnitentiæ exterioris triplex est usus, seu effectus: nimirum, ut pro delictis præteritis nonnihil satisfiat: ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magis subijciens. Ut postremò quæramus atque impe-

impetremus aliquod gratiæ divinæ donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem de peccatis, & abundantiam lacrymarum, vel propter illa, vel propter pœnas & dolores passionis Christi, aut dubij alicuius, quod nos angit, resolutionem.

Secundum, quòd, Additiones primæ duæ, solis conueniunt Exercitijs, quæ media nocte, & sub auroram fiunt. † Quarta verò in templo, vel coram alijs numquam, sed domi tantùm & clanculum exequenda est.

H ſ Quid obſervandum ante Exercitia, quæ fiunt interdiu, videndum in *Notando* 4. hebdom. 2.

Tertiò, quòd quando is qui exercitatur, affectum quæsitum non consequitur, ut dolorem, vel consolationem; mutare subinde expedit rationem victûs somnique, & alia genera pœnitentiæ: ita ut pœnitentiam unam per triduum sectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diversis, plùs aut minùs pœnitentiæ est sumendum.

Præterea, cùm pœnitentias huiusmodi sæpè omittamus ob affectum carnis, aut erroneum judicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit, citra ingens valetudinis detrimentum; & è contrario iustum nonnumquam pœnitentiæ modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes; mutatis, ut dictum est, pœnitentiæ generibus, ac per vices sumptis, & relictis,

evenit plerumque, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissimè cognoscit, unicuique id compertum reddat, † quod ipsi expedit. I

I § Simile quid habetur Reg. 4. de victu. Quia tamen vel per defectum, vel per excessum, facilè peccatur, adhibēda est directio Instructoris. Agit enim disertè S. P. N. de eo *qui exercitatur*, ab Instructore: cui talia aperienda esse satis clarè docet Annot. 17. inter 20. & variis locis non obscurè supponit. Atq; hinc est Regula Summ. 41, de tentationibus, pœnitentiis; &c. aperiendis *Præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori.*

Quartum, quòd, Particulare examen fiat ad tollendas culpas & negligentias, quæ circa Exercitia & additiones solent obrepere: id quod etiam per tres alias sequentes hebdomadas, observandum venit.

HEBDOMADA
SECUNDA. † A

A § De Secundâ hebdomadâ, & de fine, qui in eâ prætenditur: vide Direct. Cap. 18. & §. 2. Cap. 19 ubi de viâ illuminativâ, & dispositione requisitâ ad hanc hebdomadam agitur, & quid cum minùs capacibus agendum.

Contemplatio Regni JESV Christi, † B ex similitudine Regis terreni, subditos suos evocantis ad bellum.

B § Hic titulus conformis est Evãgelio; quod vocatur *Evangelium Regni* Matt. 4. v. 23. & alibi. De hac Contemplatione agit Directorium cap. 19. §. 1. 2. & 3. ubi ostenditur, quomodo sit quasi fundamentum,

Ora-

tum,& non computetur propriè inter meditationes, &c.

Dubitari poſſet, an in hac contemplatione, & in alterâ de 2. Vexillis, cùm utraq; habeat duas partes, debeamus primùm totam priorem partem percurrere, ac deinde ſecundam? an verò poſt unumquodq; punctum prioris partis, applicatio facienda ſit, vel opponendum aliud punctū ex parte ſecundâ? ſed in hac re quiſq; poteſt tenere modū, in quo plùs guſtûs & fructûs ſentit. Quod ſi non recedamus ab ordine S. P. Noſtri, hujus quidem Contemplationis pars prima, exigit actus ſolius fere intellectûs: at prima pars meditationis de 2. Vexillis admitrit benè operationem quoq; voluntatis, quâ fugiamus & deteſtemur fraudes mali ducis.

ORatio præparatoria fiet more ſupradicto.

PRæludium primum ad conſtructionem loci nunc erit, ut ſpectare nos imaginemur ſynagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Chriſtus pertranſibat: & ſic de locis alijs.

SEcundum ad gratiam poſcendam pertinens, in hac parte erit, petere à Deo, ne obſurdeſçamus vocante nos Chriſto: ſed ad ſequendum, ac obtemperandum prompti ſimus.

C PVnctum primum eſto, † proponere mihi ob oculos, humanum Regem divinitùs electum, cui Principes, & populi omnes Chriſtiani reverentiam, & obſequium præſtare debeant.

C § In primo puncto reſpexit S. P. N. ad primum punctum fundamēti: ad reverentiam videlicet & obſequium, quod quis debet Domino ſuo.

D SEcundum eſt, † imaginari quòd audiam illum Regem loquentem ad omnes ſubditos: In

D § In ſecundo puncto, proponuntur ea, quibus abſtinendum utendumvè

vé eſt; quatenùs ad obſequium illud vel conferũt, vel obſunt. Quæ verò res nominatim hîc recenſentur, reduci poſſunt ad illas quatuor, in fundamento enumeratas. Nã in tenuitate & aſperitate victûs, paupertas agnoſcitur: ad quam ſi veſtitus, exteriorque habitus humilis acceſſerit, contemnetur vulgò, & vilipendetur, qui talis eſt. Labores verò & vigiliæ, quas Rex ille commemorat, ad corporis incommoda, morbos & dolores; cæteri denique caſus ad pericula, brevitatem vitæ, & mortem ipſam oppetendam pertinet.

In animo eſt mihi regiones infidelium univerſas ditioni meæ ſubjicere. Quicumque igitur comitari me velit, paratus ſit oportet non alio vti victu, veſtitu, rebuſque aliis, quàm me utentem conſpexerit. In ijſdem quoque laboribus, vigilijs & caſibus ceteris mecum perſiſtendum erit, ut particeps fiat victoriæ & felicitatis unuſquiſque, prout laborum ac moleſtiarum ſocius extiterit.

E ſ Tertium Punctum, docet eligere, quod rectum honeſtumq; eſt quãdo de obſequio Principis illius agitur: ſimulque demõſtrat, quàm turpe ſit & indignũ eligere iners otium, quando tot nominibus ad labores & certamina provocamur.

TErtium eſt, † conſiderare quidnam reſpondere debeant Regi amantiſſimo & liberaliſſimo fideles ſubditi, & quàm prõptè ad omnem eius voluntatem offerre ſe accinctos. Contrà verò, ſi quis non obaudiret, quanto apud homines univerſos vituperio dignus eſſet, atque quàm ignavus miles æſtimandus.

Pars ſecunda hujus Exercitij conſiſtit in collatione ſimilitudinis inter dictum Regem, & Dominum

minum IESUM Christum, circa triplex illud punctum.

PRimò, sic applicabimus exemplum: Si terrenus ille Rex, cùm bellicâ suâ evocatione, dignus est, cui attentio & obsequium præstetur; quantò magis Christus Rex æternus, mundoque toti conspicuus; qui singulos ad se his invitat verbis: Mea hæc est iustissima voluntas totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est, labori enim præmium respondebit.

F SEcundum, ratiocinabimur, † neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat, & addicat.

F † Stimulo nobis esse in primis debēt verba illa: *Neminē fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat & addicat.* Nam quæ in fundamento proposita sunt (quamvis cætera abessent omnia) urgent, atque adeo cogunt nos, si modo rationis expertes non sumus, ut nos totos Deo devoveamus, & consulamus saluti nostræ. Quis igitur illum sanæ mentis dixerit, qui nunc illud obsequii Divini, salutisque propriæ negotium negligit, postquam Deus ipse homo factus, ducem se exhibuit illius viæ ad salutem & finem nostrum? Postquam ipse primus, quidquid arduum est, exhausit ac vicit? Postquam tanta laborantibus præmia promisit?

TErtiò, iudicandum erit, quòd ij, qui se obsequijs illius prorsùs duxerint mancipandos, non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam; verùm

rùm etiam majora & præclariora quædam munera oblaturi sunt, expugnatâ carnis, sensuum, amorisque proprij & mundani rebellione. † Vnde respondebit quisque in hunc ferè modum: En, ô Rex supreme, ac Domine universorum, tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitùs offero, meaq; omnia tuæ subijcio voluntati: attestãs corã infinitâ bonitate tuâ necnon in cõspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusq; curiæ cœlestis, hunc esse animum meũ, hoc desiderium, hoc certissimum decretum: ut (dummodò in maiorem laudis tuæ, & obsequij mei G

G § In tertio Puncto, annotandi sunt gradus diversi, qui inveniuntur in illâ Christi imitatione. Primus est, expugnatio rebellionis, carnis, sensuum, amorisque proprii & mũdani. Secundus, tolerantia laborum. Tertius, paupertas spiritûs. Quartus, Paupertas rerum. Quintus, tolerantia injuriarũ, & omnium adversorũ. Et quidem hi duo postremi gradus sunt *majora, & præclariora* illa *munera*, ad quæ ij se offerũt, qui se prorsus obsequijs Christi duxerint mancipandos.

Hinc etiam discimus, inter quatuor illas res, quas *S. P. N.* in fundamento proponit, duas esse positas loco maximè arduo; paupertatem videlicet, & contemptum. Nempè homines passim pro divitiis & honore, pericula, & mortem ipsam non dubitant adire.

proventum cedat) † quàm possim proximè te sequar, & imiter in ferendis iniuriis & adversis omnibus, cum verâ, tum spiritûs, tum etiam rerum paupertate: H

H § Parenthesis illa (*dummodò in maiorẽ laudis tuæ, & obsequii mei proventum cedat.*) respondet illi sententiæ

te: Si (inquam) ſanctiſſimæ tuæ maieſtati placeat ad tale me vitæ inſtitutum eligere atque recipere.

tiæ fundamenti: *Cõſentaneum eſt, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducũt eligere.* Nimirum electioni locus relinquitur: in eligendo autem paupertas & contemptus amplectenda ſunt, quatenùs ad finem ducunt.

Eadem parentheſis perſæpè etiam locum habet, in ijs, qui jam paupertatis ſtatum amplexi ſunt. Nam plura quotidiè ſolent venire in deliberationem, quorum pars una eſt expoſita injuriis, & non ſpiritûs tantùm, ſed rerum quoque paupertati, & tali quidem quæ cum incommodis & indigentiâ, ſive ut Reg. 24. Summar. loquitur, cum effectibus paupertatis conjuncta ſit. In his igitur ita animo comparati eſſe debemus, ut deſideremus proximè Chriſtum ſequi; dũmodo tamen in majorem laudis ipſius, & obſequij noſtri proventum cedat.

I Fiet bis interdiu † hoc Exercitium, manè cùm primùm ſurreximus, & in horâ prandium vel cœnam præcedente.

I §. Apparet hinc ſatis, quòd S. P. N. hanc contemplationem, non ponat in ordine meditationũ hujus hebdomadæ: ſed quòd illam ponat extra ordinem tamquam fundamentum quoddam. Nam illo die nullam nocturnæ meditationis facit mentionem, & tantùm bis interdiu vult fieri hanc contemplationem. Sic ut ille dies habeat tantùm duas contemplationes, & ſit extra ordinem quodammodo.

K In hac hebdomada ſecundâ, & ſubſequentibus utile fuerit, aliquid ſubinde legere, † ex Euangelio, vel pio alio codice, ut de Imitatione Chriſti, & Sanctorum vitâ, &c. PRI-

K §. De libris, & eorum lectione tractat Directorium Cap. 3. §. 2. 3. 4. 5. & 6. ubi etiam deſcriptione, quæ & qualis hæc eſſe debeat.

† Iterum de librorum lectione Cap. 21. §. 2.

PRIMÆ DIEI
MEDITATIO
Prima erit, de Incarnatione Iesu Christi, complectens Orationem præparatoriam, tria Præludia, & Puncta tria, cum uno Colloquio.

ORatio præparatoria nihil à superioribus variatur.

PRæludium primum est, proferre in medium contemplandæ rei historiam, quæ hoc loco erit: Quomodo personæ tres Divinæ, universam terræ superficiem speculantes, hominibus refertã, qui ad infernum descendebant, in Deitatis suæ æternitate decernunt, ut secunda persona, pro salute humani generis, naturam hominis assumat. Unde adveniente tempore præstituto, Archangelus Gabriel ad Beatam Virginem MARIAM nuntius destinatur, ut dicetur infra in myst. vitæ Christi.

SEcundum pertinet ad loci compositionem, quæ erit visio imaginaria, perinde ac si oculis pateret terræ universæ ambitus, quam habitant tot diuersæ gentes. Deinde ad certam mundi partem domuncula spectetur Beatæ Virginis, apud Nazareth in provinciâ Galilææ sita.

TErtium continet gratiæ postulationem, ut intimè cognoscã, quo pacto Dei Filius mei causâ sit homo factus, ut ardentiùs ipsum amem, & abhinc sequar studiosiùs. Notan-

A NOtandum hîc est, tam Orationem præparatoriam, quàm tria Præludia, † per totam hebdomadam, & reliquas sequentes itidem fieri, Præ-

A § De tribus præludiis, & quomodo obiter historia in primo præludio repræsentanda sit, explicat similitudine tabulæ visæ Directorium Cap. 19. §. 4.

B ludiis dumtaxat pro diversitate rerum variatis. †

B § Duo prima præludia variantur facilè pro varietate historiæ. Quamvis autem propter summam conjunctionẽ mysteriorum Incarnationis & Nativitatis, in quibus Filius Dei factus est homo, dicatur in contemplatione de Nativitate, quod tertium præludium *à superiore nihil mutabitur*: tamen in aliis mysteriis, mutari quoque debere tertium præludium *pro diversitate rerum* constat tùm ex primo Exercitio Primæ hebdomadæ; tum ex hoc notando: facilis vero erit hæc mutatio, si, prout in 1. Exerc. 1. hebd. dicitur, à *Domino id postulem, quod exopto, juxtà propositæ contemplationis argumentum*. Sic (ut ex singulis sequentibus hebdomadis unum exemplum demus) in hac 2. hebdom: In mysterio *de Baptismo Christi*, peti potest gratia illud intimè cognoscendi, ut inde ad Christi humilitatem imitandam magis accendar. In 3. hebdomada, *de accusatione apud Pilatum*, peti potest gratia injurias ibi Christo illatas benè inspiciendi, ut inde animos accipiam imitandi Christum, & pro peccatis meis æquo animo tolerandi, dum accusabor falsò, & aliis postponar. In 4. hebdom. in Apparit. 4 peti potest gratia, ut, quandoquidem ego peccaverim sicut Petrus, particeps fiam tum contritionis & pœnitentiæ, tum consolationis & lætitiæ, quam Petrus habuit Christo ipsi apparente. & sic in aliis. imò in illis ipsis mysteriis, potest postulatio aliis modis mutari, prout hunc vel illum fructum exopto.

C § In unoquoque Puncto, hortatur nos S. P. N. aliquid ad nos reflectere, & ad nos ipsos applicare, & ex singulis nonnihil fructûs decerpere. Iuverit hîc quoque exemplum aliquod dare.

Punctum primum, † est: ut C

D § Ex contemplatione hominum super faciem terræ degentium, &c. cõcludemus inconstãtiam rerum humanarum, brevitatemque vitæ nostræ. Et quis ob res adeò fluxas & caducas, à fine ad quem factus est, deflectat? Quis ob illas obsequium Divini illius Regis negligat? Præsertim cùm brevi labori addixerit præmium sempiternum?

speculer personas omnes, † de D quibus agitur. Et primò quidem homines super faciem terræ degentes, adeò moribus, gestibus, & actionibus diversos; quosdam albos, & nigros alios; nonnullos fruentes pace, & reliquos bellis agitatos: hunc plorantẽ, & ridentem illum: sanum unum, alterum ægrotũ: nascentes multos, & multos vicissim morientes, ceterasque varietates propè innumeras. Deinde

Ex contemplatione Personarum trium Divinarum è *Solio Regali suo* intuentium *omnia hominum genera in superficie terræ cæcorum more vibentium, passimq́; morientium, & descendentium ad Infernum*; discemus; quàm oculis longè diversis à judicio nostro Divina illa mens aspiciat has res infimas & humanas. Protectò *sapientia* ... *huius mundi, stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3. Utinam aliquis cælestis illius sapientiæ radius nobis infundatur divinitùs, quo mendacium à veritate secernamus!

Contemplando *Virginem* MARIAM *cum Angelo eam salutante*; considerabimus, quomodo Angelis, imò Deo sit in pretio Virgo, pauper, obscura, & vulgo incognita. Sed tenebat *viam bonam, & rectam*, 1. Reg. *12.* ad Deum nempè, ad quem facta erat. Idcircò, omissis Principum *Palatiis*, Angelus Virginis hujus congressum ambit.

Deinde contemplandæ erunt perſonæ tres divinæ, è ſolio regali ſuo intuentes omnia hominum genera, in ſuperficie terræ cœcorum more viventium, paſſimque morientium, & deſcendentium ad infernum. Poſteà Virginem MARIAM cum Angelo eam ſalutante conſiderabimus, aliquid inde ſemper ad nos reflectendo, vt ex conſideratione tali fructum aliquem referamus.

E SEcundum punctum eſt, auditu interno excipere, quid loquantur perſonæ omnes, † ut homines in terris confabulantes, blaſphemantes, ſibique invicem conviciantes. Divinæ verò perſonæ in cælo de redimẽdo humano genere colloquentes: Virgo & Angelus in cellulâ de Incarnationis myſterio tractantes. Quorum omnium reflexione, ſeu applicatione quadam ad meipsũ factâ, ſtudebo ex ſingulis nonnihil fructûs decerpere. Ter-

E § In 2. puncto audiemus *homines in terris confabulantes:* narrant *iniqui fabulationes*, Pſal. 118. non de fine, ad quem creati ſunt, aut de recto rerum creatarum uſu ad finem; ſed de uſu perverſo, & earum electione, minimè fini conſentaneâ; de ambiendis videlicet divitijs, honoribus & dignitatibus, aliiſq; de rebus ſpectantibus *ad carnis, ſenſuum, amoriſq; proprij,* ac *mundani* oblectationem. Atq; ex his oriuntur cætera linguæ peccata, ex quibus S. P. N. pauca enumerat in Examine Generali ſuprà. At Divinæ Perſonæ non aliam rem inter ſe tractãt, quàm de hominibus in viam reducendis, per quam itur ad finem, ob quem conditi ſunt. Non aliâ de re loquitur Angelus cum B. Virgine. Hinc diſce, quò ſermones tui dirig debeant.

TErtium consequenter erit, actiones quoque personarum, † simul attendere: ut puta, quomodò sese invicem mortales infestent, concutiant, trucident, & omnes ruant ad inferos: quomodò Sanctissima Trinitas Incarnationis opus exequatur: quomodò item suâ Angelus fungatur legatione, & Beata Virgo humillimè se gerens, Divinæ gratias agat majestati. Ex quibus ad nos ipsos, ut dictum est, reflexis, fructus obiter est legendus. F

F § In 3. Puncto, vide mortales hoc unum agentes, ut consequantur per fas & nefas res illas vanas, quas tantoperè depereunt. Hinc bella, cædes, & omnium rerum perturbatio, ac tandem exitium sempiternum. O! quanta secum mala fert animus ad res quasdam creatas perversè inclinatus & affixus! Intereà infinita illa Dei bonitas exequitur opus Incarnationis, & Filius Dei, in Virgineo utero humanâ carne induitur & mittitur, ut nobis à pravo illo rerum creatarum amore abstractis, viam ad finem nostrum commonstret, atq; adeò ut tanquam Dux nobis præeat. Quis *sanæ mentis - - - non cupidissimè CHRISTI servitio se totum* hîc *offerat & addicat?*

COlloquium postremò † subiiciam disquisitis studio è verbis, quibus divinam quamlibet personam, Verbum Incarnatũ, & ipsius Matrem dignè valeam compellare: petendo etiam pro affectu, quem in me sensero, quidquid ad majorem iuvet imitationem Domini mei Jesu Christi, velut nunc recens incarnati. G

G § In colloquio petere diligẽter cõvenit, *quidquid ad maiorem iuvet imitatione Domini mei JESU Christi, velut nunc recens incarnati.* Nam sic hæc Medita-

carnati. Recitabitur in fine *Pater noster.* Meditatio optimè cohærebit cum cõtemplatione de Regno CHRISTI, quæ est fundamentum quoddam totius viæ illuminativæ. Quapropter juverit iterum in illa verba prorumpere: *En ô Rex supreme ac Domine universorum,* pro me recens incarnate, *ego tuâ, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ, & ope, &c.*

II. CONTEMPLATIO, *De Nativitate.*

ORatio præparatoria sicut suprà.

Præludium primum ex historiâ dependet; quæ recensenda est ab egressu Beatæ Virginis, ex oppido Nazareth: quo scilicet modo iam nono mense gravida, & insidens asinæ (ut piè meditari licet) ac Ioseph comes, cum ancillulâ, & bove, † profecti sunt Bethleem, tributum à Cæsare exactum, pro se soluturi.

A § ☞ Auctores, qui censuerunt B. Virginem insedisse asinæ, ac secum adduxisse bovem, vide apud Suarez To. 4. de Relig. Tract. 10. lib. 9. Cap. 5. Num. 17. & 18. ubi invenies etiam probabiles rationes pro comitatu ancillulæ.]

SEcundum verò deducendum erit ex consideratione itineris, æstimatâ eius longitudine, obliquitate, lenitate, vel asperitate passim occurente. Deinceps etiam nativitatis locum rimabimur, speluncæ similem: latum, vel angustum planum vel erectum, commodè, vel incommodè paratum;

TErtium, à superiore nihil mutabitur.

PUnctum primum est, aspectus personarum, ut Virginis Deiparæ, & Ioseph coniugis, cum famulâ, & Christi Domini, ut infantis nunc primùm nati: * Inter quos † me adesse fingam, tamquàm pauperculum, eorum utcumque necessitatibus, cum reverentiâ maximâ famulantem. Ac inde quid ad me redire emolumenti, ex tali spectaculo possit, dispiciam. *i B

B § Ex Autographo sic meliùs leges: *Inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, & servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, & eorum necessitatibus cum reverentiâ maximâ famulantem.*

Igitur contemplare in Stabulo Bethleëmitico lectulum, vestitum, pannos, cæteraq; insignia, quibus Rex tuus ornatus venit in hanc lucem; & revoca in memoriam secundum Punctum 1. Partis Contemplationis de Regno Christi.

SEcundum conficitur ex verborum, † quæ ibidem fiunt, apprehensione fructuosâ. C

C § Audi Christum ex Præsepio tibi loquentem ea, quæ in eodem secundo Puncto 1. Partis; vel in primo Puncto 2. Partis de Regno Christi antè audivisti.

TErtium ex negotiorum, † quæ illic geruntur, inspectione, puta itineris, laborum, & causarum ob quas summus omnium Dominus, in summâ natus sit egestate, laturus quoque in hac vitâ cum perpetuâ paupertate labores, famem, sitim, æstum, frigus D

D § Vide ex omnibus rebus creatis, qualia elegerit Christus Paupertatem scilicet, & cōtemptum, præ divitiis

frigus, opprobria; verbera, & crucem tandem subiturus, idq;

tiis & honore. Hæc CHRISTI electio moderabitur, illam nimis cœcam ani-mi propensionem, quâ raperis inconsultò in res fini tuo contrarias.

Post hæc considera causam, cur Rex ille supremus ac Dominus universorum talis voluerit venire? Ut nimirùm exemplo suo animos nobis daret, ad facienda ea, quæ facere debuissemus, etiamsi ipse non venisset.

E mei causâ: † unde per singulas studebo proventum aliquem spiritualem colligere. Hæc demum concludenda erunt inito colloquio, & finito cum *Pater noster.* III. CON-

E ſ Denique perpende verba illa: *Mei causâ.* Si Rex ille, nullius egens, hoc fecerit *mei causâ*, ut me in viam ad finem reduceret, quid æquum est me facere? Hic iterùm: *En, ô Rex supreme, ac Domine universorum* recens *mei causâ* nate, *ego tuâ,* *licet indignissimus,* &c.

De Punctis Meditationum.

QUia S. P. N. Meditationes hujus Hebdomadæ in tria ferè Puncta distribuit: scilicet in personarum, verborũ, & operum contemplationem; singulorum copiam & fœcunditatem breviter exhibebo.

DE PERSONIS. In his potest considerari, *Vultus*; *corporis habitudo, & color; ætas; situs; gestus; vestis.* Quibus addi potest *locus*, sicut S. P. N. in Medit. de duobus vexillis, contemplatur CHRISTUM *humili - - - constitutum loco.* Præterea investigari possunt interiora hæc: *Tres potentiæ, & passiones animi.* Quàm sit persona *fœda, & infecta cœno peccatorum, tam capitalium, quàm aliorum;* quàm *ornata Virtutibus Theologicis Fide, Spe, Charitate, & Moralibus*, inter quas prima & præcipua est *Religio,* quâ interior & exterior cultus, Deo debitus, exhibetur, ueluti oratione, sacrificio, &c. huc spe-

ctant quatuor Virtutes Cardinales, *Prudentia* scilicet, *Iustitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo*: consilia item Evangelica, *Paupertas voluntaria*, *Castitas perpetua*, *Obedientia integra*. An instructa sit *septem donis*, & *duodecim fructibus S. Spiritûs*.

Quia verò in his valdè salutaris, copiosa & facilis meditanti sæpè est materia, tam dona, quàm fructus hîc enumerabo. DONA SPIRITûS SANCTI apud Isaiam Cap. 11. hæc recēsentur. 1. Sapientiæ. 2. intellectûs. 3. consilij. 4. fortitudinis. 5. Scientiæ. 6. pietatis. 7. timoris Domini. FRUCTUS autem ad Galatas 5. sunt hi. 1. Charitas. 2. Gaudiū. 3. Pax. 4. Patientia. 5. benignitas. 6. Bonitas. 7. Longanimitas. 8. Mansvetudo. 9. Fides. 10. Modestia. 11. Continentia. 12. Castitas.

DE VERBIS. Tria sunt homini necessaria, ad salutem & finem suum consequendum: Nimirùm, ut *Dominum Deū suum laudet, ac revereatur, eiq́ serviat*. In fundam. Ad reverentiam pertinet personæ totius compositio, quâ se alterius conspectui offert. Hæc verò compositio acquiritur potissimùm contemplatione & imitatione Personarum, de quâ nunc egimus. At laus verbis potissimùm perficitur. Videndum igitur est in primis, *quid* Personæ *laudent*: *quid* contrà *vituperent* & *parvi pendant*. *De quibus* rebus loquātur: tum *quibuscum* colloquantur: Considerandum quoq́; *tempus*; *locus*; & *modus*. Cogitationes huc referri possunt. Nam verba sunt quædam cogitationum signa.

De OPERE. In hoc situm est obsequium, quod alteri exhibemus, & probatur per illud studium eidem serviendi. Indagandum igitur, *Quid* personæ agant. Campus hîc amplissimus aperitur, si ad Fundamentum, ad Meditationes singulas primæ Septimanæ, & ad Meditationem de Regno CHRISTI, &c. facta personarum explores. Veluti si utaris triplici illo compendio 2. Exercitij 1. Hebdomadæ, quod juvat tam ad rectè facta, quàm ad peccata in memoriam revocanda: *Consideratis videlicet locis habitationis - - - conversationum modis: & officiorum seu negotiorum, quibus functi*, sunt, vel funguntur *generibus diversis*. Plura ejusmodi occurrent, quibus Punctum hoc mirè amplificabitur, si ad Meditationes anteactas animum convertas.

Possunt

Possunt hîc considerari opera misericordiæ: tum CORPORALIA, quæ sunt septem. 1. Esurientes pascere. 2. Potum dare sitientibus. 3. Operire nudos. 4. Captivos redimere. 5. Ægrotos invisere. 6. Hospitio peregrinos suscipere. 7. Mortuos sepelire: tum deinde SPIRITUALIA, quæ item sunt septem. 1. Peccantes corrigere. 2. Ignorantes docere. 3. Dubitantibus rectè consulere. 4. Pro salute proximi Deum orare. 5. Consolari mœstos. 6. Ferre patienter injurias. 7. Offensam remittere.

Consideretur deniq; *modus, tempus, locus, causa, finis, &c.*

Nam Directorium agens de punctis hisce Meditationum Cap. 19. §. 5. 6. & 7. notat §. 7. quòd non prohibeamur illis tribus punctis addere alia, qualia sunt, *Cogitationes, & affectus Personarum interiores, tum etiam virtutes; & præter eà modus, & finis mysteriorum, quæ occurrunt, causa item & effectus, tempus & reliquæ circumstantiæ.* Sed sive hæc censeantur diversa esse puncta, sive reducantur ad aliquod ex tribus punctis propositis à S. P. Nostro (sicut fit in Contemplatione de Nativitate in tertio puncto) non tantoperè videtur referre: facere quisq; potest prout se meliùs sentit juvari.

Amplus quoq; aperitur campus Meditandi, si in mysterijs animum advertas ad octo beatitudines, quas Christus tradidit Matt. 5. contemplando scilicet, quomodo & in personâ, situ, & gestu, & in verbis; & in opere Christus, alijq; exercuerint illas octo virtutes. Considerando præterea, præsertim dum versamur in 4. hebdomadâ, quomodo annexas beatitudines adepti sunt. Illud quoq; observandum, virtutes omnes illas conjunctas esse cum tribus illis virtutũ gradibus, qui traduntur in contemplatione de 2. vexillis, ex eijsq; quodammodò profluere: Beatitudines autem ipsas spectare, ad victoriam & felicitatem, cujus, in Meditatione de Regno Christi, Rex Noster dicit, quòd particeps erit *felicitatis* unusquisque, prout laborum & molestiarum particeps fuit.

VIRTUTES.	BEATITUDINES.
1. Beati pauperes ſpiritu:	quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.
2. Beati mites:	quoniam ipſi poſſidebunt terram.
3. Beati qui lugent:	quoniam ipſi conſolabuntur.
4. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam:	quoniam ipſi ſaturabuntur.
5. Beati miſericordes:	quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
6. Beati mundo corde:	quoniam ipſi Deum videbunt.
7. Beati pacifici:	quoniam Filii Dei vocabun- [tur.
8. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam:	quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.

Quisquis perſonas, verba, & opera hoc modo in ſingulis myſterijs fuerit contemplatus, is ſeipſum reſpiciens, inveniet undè fructum multiplicem colligat; & poſt intellectûs ratiocinationem, ſuaptè ſpontè, ad voluntatis affectiones rapietur.

Iſtud modò universè monendum eſt: in ſingulis Punctis varias quaſi perſonarum claſſes menti obijciendas eſſe: ut nunc mundo amoriq; proprio deditos; nunc Deo devotos conſideremus: ipſos etiam Inferos nonnumquam adeamus, inde ad Cælites cogitationem transferamus; per omnes terræ Cæliqque plagas mente vagando: ne ipſas quidem res vitæ expertes prætereundo, quas S. P. N. in 2. Exercitio Hebd. 1. tamquam Dei inſtrumenta, & miniſtros contemplatur. Harum tam diverſarum claſſium conſiderationem, & inter ſe comparationem, docet nos pulchro exemplo, S. P. N. in Meditatione de Incarnatione.

Nos quoque ſpecimen aliquod dabimus, modumque tractandi Puncta Meditationum, in fine harum Explanationum.

III. CONTEMPLATIO,

Est repetitio præcedentium duarum.

PRo tertio Exercitio, seu contemplatione, repetuntur duæ præcedentes cum Oratione præparatoriâ,& iisdem tribus Præludiis, notando ubique, & fixiùs tractando illas partes, in quarum priore transcursu aliquid illustrationis, consolationis, vel desolationis acceperim. Subdetur etiam Colloquium cum oratione Dominicâ, ut priùs.

F NOtandum, eumdem esse repetendi Exercitij modum, † & ordinem in hac hebdomadâ, & in sequentibus, qui fuit in primâ: nisi quòd mutatur materia, eâdem formâ permanente.

F § Quæres, quid dicendum de praxi illâ, quâ nonnulli Repetitionis, aut alterius Exercitij loco, solent discussionem facere, de regulis, vel officio suo, vel aliud eiusmodi? Respondeo, quòd praxis illa sit minùs conformis menti S. P. Nostri, qui variis locis & modis inculcat, sive quinque, sive quatuor fiant Exercitia; sive una pro omnibus contemplatio assignetur, ut fit quintâ die & sequentibus hebdomadæ secundæ; sive duplex, ut alibi; quòd debeamus toto die hærere in eâdem materiâ eam repetendo, ac demum sensus applicando. Sic enim fit, ut mysteriũ altiùs animo imprimatur: qui fructus retardatur, quando Exercitiũ interponitur aliud. Quò autem contemplationes, altiùs animo insident, eò meliùs præparamur ad tertiũ humilitatis gradum, qui est quasi objectum attributionis, ad quod omnia à S. P. N. diriguntur. Iam verò qui in tertio humilitatis gradu versatus est, haud gravatè in suo statu omnes officii sui partes, & regulas explebit. Ad gradum proinde illum præcipuo & non interrupto studio per Exercitia & Meditationes tendendum est.

IV. CON-

Itaq; utiliùs, & menti S. P. Nostri magis consonum est, mysteria singula, perpetuo quasi meditationis opere, per Repetitiones, & Sensuum applicationes cordi quodammodò insculpere; atq; hac viâ ad tertium humilitatis gradum contendere. Discussio verò illa, de quâ agimus, vel differri potest in aliud tempus; vel sic posset institui, ut propter illã Repetitiones, & Applicationes sensuum nullatenùs omittantur: veluti, si extrà meditandi Exercitia quinque vel quatuor, quæ singula horam requirunt, impendatur saltem horæ quadrans, vel media hora ejusmodi discussioni.

Denique, ut pateat, quantoperè S. P. Nostro cordi fuerit, prosecutio, & repetitio iterata Mysterij, de quo noctu, & in aurorâ meditati sumus, cum applicatione sensuum ad idem: ne per ipsam quidem Electionem, quæ est discussio optima, atq; adeò necessaria, vult omitti unam ex hisce repetitionibus, aut applicationibus sensuum. Sed quinto die hebdomadæ secundæ, quando inchoatur discussio Electionis, quàmvis unicum tantummodò mysterium, illo die & deinceps assignet, ponit tamen disertè quinque Exercitia, cum suis repetitionibus, & applicatione sensuum, pro unoquoq; die, sic ut discussionem illam præcipuam voluerit fieri, extra seriem meditationum ac repetitionum.

Rationes cur Exercitia illa omitti non debeant, etiam tempore Electionis, præter proximè allatas, videri possunt in directorio Cap. 30. §. 3. & 4. Quamquam dum Exercitia illa fient more præscripto à S. P. Nostro, continget interdum, ut in aliquâ parte meditationis, cùm animus jam quietus est, occurrant quædam, quæ ad Electionem (idem dici potest de discussione, & observatione Regularum. &c) non parum juvant, aut movent; quæ tunc minimè repellẽda, sed sedulò tractanda & versanda sunt.

Hæc visum fuit paulò pluribus exponere, ne sensim irrepat Exercitiorum forma nova; aliosq; nobis scopos præfigamus; cùm in tertio gradu humilitatis omnia sita sint, ex eoq; cætera quæ quærimus, facillimè, & quasi sponte suà profluant.

IV. CON-

IV. CONTEMPLATIO,

Est primæ ac secundæ iterata repetitio, proximæ præcedenti penitùs conformis.

V. CONTEMPLATIO,

A *Est applicatio † sensuum ad prædictas.*

A § Directorium Cap. 20. ubi agit de Applicatione sensuum, testatur §. 1 quòd hoc exercitium sit facile; aptè propterea fit post alias diei meditationes, quibus mens fatigata aliquantùm esse potest.

Differt verò à meditatione, ut traditur §. 3. quia meditatio, magis ratiocinatur per intellectum. Applicatio autem potissimùm inhæret in sensibilibus, ut in aspectu, &c. subjungit deinde duplicem applicationis utilitatem §. 4.

Cùm applicatio sensuum sæpè versetur circa duo mysteria duarum meditationum, contingere poterit, ut aliquis plùs gustûs & fructûs referat, si primò applicet sensus omnes ad unum mysterium, ac deinde ad alterum: præsertim, quando mysteria inter se minùs sunt connexa.

POst Orationem præparatoriam, cum tribus iam dictis Præludijs, apprimè conducit, quinque imaginarios sensus circa primam & secundam Contemplationem, eo, qui sequitur, modo, exercere, prout res subiecta feret.

PVnctum primum erit, † ſecundùm imaginationem reſpicere perſonas omnes, & notatis, quæ circà eas occurrent, circumſtantijs, utilitatem noſtram elicere. B

B § Aſpectus perſonarum in hoc puncto, videtur debere diuerſus eſſe ab aſpectu perſonarum, qui fit in alijs meditationibus; ubi conſideratio actionum, eſt punctum diſtinctum ab aſpectu perſonarum. At in Applicatione ſenſuum, conſideratio actionũ, non eſt punctum diverſum. Quapropter perſonæ videntur hîc reſpiciendæ etiam tamquàm agentes, ſive cum actionibus. Et hoc forte indicat S. P. N. per verba illa: *Notatis, quæ circa eas occurrent, circumſtantijs.*

QVamvis applicationis ſenſuum ſpecimen aliquod dederimus in Contemplatione de Inferno: hanc tamen Contemplationem paucis declarabimus.

In primo Puncto. Intuere CHRISTVM in Virginis utero, per novem Menſes incluſum; ibidemque in loco obſcuro, extra hominum aſpectum & memoriam latitantem. Diſce latere, & vivere ſolo Cœlo teſte.

Oculos deinde converte ad S. Ioſephum, & B. Virginem Matrem, & ancillam. Vide quàm diligenter omnes Dominum Deum ſuum, recèns natum, laudent, revereantur, eique ſerviant. Ad hæc exempla poſcuntur tuæ manus.

Poſtremò oculos in Cælum tolle. Videbis Cælites omnes, averſos à rebus illis, quas vulgò homines æſtimant, perpetuo obtutu fixos in illo ſpectaculo CHRISTI, vel concluſi Virginis utero, vel iacentis in Præſepio. Id age, ut tu quoque gratum ſpectaculum fias Deo, & Angelis.

SEcundum, velut, † audiendo, quid loquantur, aut loqui eas deceat, omnia in uſum noſtrum attrahere. C

C § In ſecundo Puncto: Audi Chriſtum

ſtum in utero Matris ſeſe Patri offerentem ad omnia, quæ & ad gloriam ipſius, & ad ſalutẽ noſtrã ſpectant: eadẽ deſideria & vota in Præſepio collocatus identidem renovat. Tu item te totum offer ad obſequium Dei, & ſalutem animarũ.

D k * TErtium, interiore † quodam guſtu, & olfactu ſentire, quanta ſit ſuavitas, & * dulcedo animæ, divinis donis ac virtutibus imbutæ, juxtà rationem perſonæ, quam conſideramus, adaptando nobis ea, quæ fructum aliquem afferre poſſint.

D ſ In tertio Pũcto: Interiore quodam guſtu: & olfactu, percipe & ſenti, ſapientiam, intellectum, conſilium, & cætera dona Spiritûs Sancti: charitatem item, gaudium, & cæteros fructus eiuſdem Spiritûs; quos tum B. Virgo, tum B. Ioſeph, tum CHRISTVS ipſe in ſe ſenſerunt. Sanè virtutum harum fragrantia Cælum ipſum implevit odore ſuaviſſimo. Tu quoque id age, ut bonus CHRISTI odor fias, & ut guſtare etiam poſſis, *quoniam ſuavis eſt Dominus*. Pſ. 33.

In hoc tertio puncto iuverit legere correctionem ex autographo Hiſpanico, quæ poſita eſt in fine lit. k.

E QVartum, per † internum tactum attrectare, ac deoſculari veſtimenta, loca, veſtigia, cæteraq; perſonis talibus coniuncta, unde fiat nobis devotionis vel boni cuiuslibet ſpiritualis maior acceſſio.

E ſ In quarto Puncto fac, ſicut ibi notatur.

F HVic erit Contemplationi per Colloquium † imponendus finis, ſicut prioribus, adiecto itidem *Pater noſter*.

F ſ In Colloquio, non omittenda poſtulatio gratiæ, quâ poſſis

NO.

possis intelligere &exequi, quæ tum in fundamento, tum in Meditatione de Regno Christi apud animum tuum decrevisti, quæ identidem sunt revocanda in memoriam.

NOTANDA

Insuper sunt hæc quinque.

PRimum, quòd tam in hâc, quàm in qualibet sequente hebdomadâ nullum debeo legere, vel cogitare aliud mysterium, nisi quod eâdem horâ aut die considerandum sit, cùm alioquin unũ alteri obturbet.

SEcundum, quòd primum de Incarnatione Christi Exercitium fit mediâ nocte, proximum diluculo, tertium circà horam Missæ, quartum sub vesperas, quintum paulò ante cœnam: & eorum cuilibet, spatium impendetur unius horæ. † Id quod abhinc deinceps ubique venit observandum. A

A ※ Hinc confirmatur id quod diximus ad Annot. 12. inter 20. videlicet integram horã impendendam cuique Exercitio.

TErtium, quòd si is, qui exercitatur, sit senex, vel per hebdomadam primam viribus attritus, præstat eum aliquoties non surgere de nocte, sed tres tantùm contemplationes peragere, in aurorâ, circa Missæ tempus, ante † prandium * superadditâ circâ vesperas unâ repetione: & sensuum applicatione ante cœnam. B *I

B ※ Hæc verba sumenda sunt quasi synonyma: ut videlicet *circa missæ tempus*

tempus; idem ſignificet quod *ante prandium,* ſic ut ut ſola contemplatio nocturna omittatur, cætera Exercitia fiant numero, & tempore ſolito: hæc clarè patent, ex Notando poſito poſt duas contemplationes ſecundæ diei hujus hebdomadæ.

QVartum, quòd in hac hebdomadâ ſecundâ, ex decem additionibus in primâ traditis, variari debent ſecunda, ſexta, & ſeptima, cum decimâ, ex parte. In ſecundâ quidem hoc mutatur, quòd ſimul atque excitor à ſomno, meditationem proximè inſtantem debeo menti objicere, ac deſiderium provocare, cognoſcendi clariùs Incarnati æterni Verbi, ut ipſi ſerviam, & adhæreſcam tantò propenſiùs, quantò incredibiliorem erga me bonitatem eius † perſpexero.

C C § Hæc cogitatio congrua, complectitur tria, 1. Meditationem menti objicere. 2. deſiderium cognoſcendi clariùs Incarnati Verbi. 3. cognitionem illam eò dirigere, ut ipſi ſerviam, & adhæreſcam tantò propenſiùs, quantò &c.

Patet ex hac cogitatione, quæ ſtatim à ſomno debet meditationem præcedere: quantoperè S. P. Noſtro cordi fuerit, ut juxtà Conſtit. p. 3. C. 1. § 26. & Summarij Reg. 17. homines *ſerviant & placeant Divinæ bonitati propter ſeipſam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos;* hoc eſt, ſicut hîc loquitur, *ut ipſi ſerviam & adhæreſcam tantò propenſiùs, quantò incredibiliorem ergà me bonitatem eius perſpexero.*

In ſextâ verò, ut frequenti verſem memoriâ vitam Chriſti à tempore Incarnationis ad locum uſque, ſive myſterium, de quo in præſenti die, vel horâ ſum meditaturus.

In

In ſeptimâ, ut luce, vel obſcuritate, ſereno cælo, vel turbido delecter, quatenùs ad ſcopum refert deſideratæ rei, pertingendum.

In decimâ, ut ita me geram, ſicut exigere videtur myſterij contemplandi genus: cùm nonnulla ex myſterijs pænitentiam requirant, alia non item. Decem igitur Additionibus utendum erit circumſpectè.

QVintum eſt ultimò notandum, quòd in omnibus aliarum horarum (præterquàm noctis mediæ & auroræ) Exercitiis; aſſumendum erit aliquid, quod ſecundæ & tertiæ additioni æquivaleat, hunc in modum: ubi primùm in mentem veniet adeſſe meditandi horam, priuſquàm accedam, proſpiciam eminùs, quò ferar, & coram quo ſim appariturus, ac tranſcurſâ obiter Exercitii oblati parte, contemplationem ſtatim auſpicabor.

IN II. DIE.

ARGVMENTVM PRIMÆ & SECVNDÆ CONTEMPLATIONIS, †

Erit

A § Legendum de his Directorium Cap: 19. §. 5. 6. & 7.

Cæterùm Meditationes 2. & 3. diei de Præſentato CHRISTO in Templo, de fugâ in Ægyptum, de vitâ in domo Parentum, & de manſione in Templo, declarabuntur ſuo loco, cum alijs, quas S. P. N. proponit in fine libelli ſui.

*Erit Christi Præsentatio in Templo, de quâ infrà. * Fuga in Ægyptum: de quâ etiam infrà in mysterijs vitæ Christi.*

SVper duabus his Contemplationibus fiet repetitio duplex, & sensuum applicatio, ut suprà.

NOtandum, quòd expedit nonnumquàm eum, qui exercitatur, quamvis & vigore animi, & corporis robore sit præditus; nonnihil tamen remittere de præscriptis Exercitijs secundæ huius hebdomadæ, & subsequentium duarum: ut assequi, quod cupit, commodiùs valeat, acceptâ solummodò contemplatione unâ in crepusculo matutino, & alterâ circà Missæ tempus: quarum repetitionem faciat horâ vesperarum: & sub cœnam, quinque imaginationis sensus super iisdem exerceat.

DIe verò tertiâ meditandum occurret, quo pacto puer IESUS apud Nazareth subditus erat parentibus. Deinde, quomodò ab eis repertus fuerit in templo, ut infrà in mysterijs vitæ Christi. Fient item duæ repetitiones, cum sensuum applicatione.

Præludium quoddam, circà considerationem statuum, seu generum vitæ diversorum.

Cum

Cùm * supra propositum † fuerit exemplum Christi, de vitæ genere, quod in mandatorum Dei obseruatione consistit, & primus seu communis status appellatur; nunc idem ipse Dominus, dum parentibus suis fuisse subditus memoratur, formam videtur exhibere, alterius seu se- A

A ¶ Operæ pretium erit correctionem ex autographo hîc apponere, quæ sic clariùs habet: *Cùm suprà propositū fuerit exemplū Christi, de vitæ genere, quod in mandatorū Dei observatione consistit, dum Parentibus suis fuisse subditus memoratur, & primus, seu communis status appellatur. Nunc idem ipse Dominus formam videtur exhibere alterius, seu secundi statûs, perfectionem Evangelicam afferentis, quando videlicet in Templum se contulit. &c.*

cundi status, † pendentis ab obedientiâ, & prefectionem Evangelicam afferrentis, quando videlicet in templum se contulit, patre adscititio, & naturali Matre derelictis, ut æterni Patris obsequio vacaret. Quarè opportunum hîc erit, nos quoque illius vitam contemplantes, vestigare & efflagitare proprium vitæ genus, in quo maiestati suæ nos servire malit. Ad B

B ¶ Sanctus P. N. omnes hominū status distribuit in duo genera. Unū eorum *in Mandatorum Dei observatione consistit.*

Hic status à S. *P.* Nostro vocatur *primus*: quia revera unusquisque ab initio huic addicitur. Idem vocatur *communis*, quia nullus ab eo eximitur: nec proindè deliberationi locum relinquit; Quamvis varias, multumque inter se diversas statuum species complectatur, quæ deliberandi eligendique necessitatem non rarò afferunt.

Alter status est, qui affert *Perfectionem Evangelicam*: Hic vocatur *secundus*, quia primo supervenit. Exem-

Exemplum primi ſtatûs S. P. N. ponit in CHRISTO, *dum Parentibus ſuis fuiſſe ſubditus memoratur.* Specimen verò ſtatûs ſecundi, quando Parentes, eorumque domum dereliquit, *ut æterni Patris obſequio vacaret.*

Sunt hæc hauſta ex Evangelio Matt. 19. ubi ad CHRISTUM *unus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei - - - ſi - - - vis ad vitã ingredi, ſerva mandata.* En ſtatum primum & communẽ. Sed cùm dixiſſet *illi adoleſcens; omnia hæc cuſtodivi à iuventute mea; quid adhuc mihi deeſt? Ait illi IESUS:* SI VIS PERFECTUS ESSE, *vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* En ſtatum ſecundum, qui ducit ad *Perfectionem Evangelicam.*

Porrò inveſtigatio ſtatûs unicuiq; cõvenientis inchoatur à Meditatione, de manſione CHRISTI in Templo, quando Parentes dereliquit, *ut æterni Patris obſequio vacaret.*

Sed longè à S. P. Noſtri mente aberrant ij, qui exiſtimant ſequentia Exercitia, ad illos duntaxat ſpectare, qui proprium vitæ genus inveſtigant. Nam cùm dixiſſet in hoc præludio, quod *opportunum hic erit - - - veſtigare & efflagitare proprium vitæ genus,* & quod *ad hoc - - - inquirendum poſſumus introduci, per ſequens proximè Exercitium.* Ne cui fortè hæc cogitatio incideret: ego jam inquiſivi ſtatum; & eum, quem eligere ac tenere debeo Deus mihi ſuggeſſit, ad me igitur nihil pertinet electionis materia: ne quis, inquam, ſimilia cogitaret, mox ſubnectit S. P. N. hæc verba: *Diſcemus etiam exinde, quâ ſit nobis opus diſpoſitione, ut perfecti in eo evadamus ſtatu, &c.*

Itaque his qui ſtatum habent, *ut perfecti in eo* evadant, æquè utilia & neceſſaria ſunt ſequentia Exercitia, & univerſa electionis materia; atque ijs, qui ſtatum inquirunt.

Ad hoc igitur inquirendum, poſſumus introduci per ſequens proximè Exercitium, ad Chriſti mentem attendentes, collatam cum oppoſitã inimici. Diſcemus etiam exinde quâ ſit nobis o-

pus dispositione, ut perfecti in eo evadamus statu, quemcumque bonitas Divina eligendum nobis suggesserit.

QUARTA DIE

Fiet meditatio de duobus vexillis, † A uno quidem JESV Christi optimi nostri Imperatoris; altero verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi.

Ora-

A 5 Hæc Meditatio, prodest vel maximè (quod jam dicere incepimus) tum ad inquirendū proprium vitæ genus, tum ad intelligendum, *quâ sit opus dispositione, ut perfecti in eo evadamus statu, quemcumq; bonitas divina eligendum nobis suggesserit.* Hoc est, ut ex omnibus, quæ nostro arbitrio subjecta sunt, & nòn prohibita, eligamus ea, quæ statum præ cæteris decent, & ornant. Hanc etiam ob causam (videlicet ut sciamus, hæc omnia non minùs dirigi, ad eligenda ea, quæ statum consequuntur, quàm ad eligendum statum ipsum) S. P. N. etiam communem statum, qui in Mandatorum observatione consistit, neq; deliberandi locum relinquit, tam studiosè disertèque proponit, non ut inquiramus an eligendus sit: sed ut statum illum, benè eligendo ea, quæ libera nobis sunt, perficiamus.

Porrò Meditatio hæc est introductio quædam, sive dispositio, ad investigandum, & inquirendum, quid Deo placeat, salutiq; nostræ conducat: non verò est investigatio aut inquisitio ipsa. Nam hæc ad electionem spectat, de quâ suo loco. Quamquam, quid eligendum sit, nonnumquam animo meditantis ultrò quasi objicietur.

Differt autem Meditatio hæc non parùm, ab illâ Contemplatione de Regno CHRISTI. In illâ enim *Rex* divini-

tùs nobis datus, consilia sua de futuro bello divulgat: *in animo est mihi, &c.* Conditiones ijs, qui sub signis suis merebunt, proponit: *Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit, &c.* De hostibus generatim pronuntiat, omnes esse debellandos. At necdum in hostium venitur conspectum; necdum exercitus egressus est in campum. Nempè bellum non tam ibi geritur, quàm paratur. In hac verò Meditatione, proditur in arenam; explicantur Vexilla; & hinc improborum, inde bonorum Dux constitutus in acie conspicitur, suos quisque ad pugnam instruens & adhortans: intuemur vultus, audimus orationes. Ex quo sanè magna lux in eligẽdo oriatur necesse est, vel ad vitandas mali Ducis fraudes, vel ad imitandos optimi Imperatoris mores ingenuos.

ORatio præparatoria fit secundùm morem.

PRæludium primum, erit historica quædam consideratio Christi, ex unâ parte, & ex alterâ Luciferi, quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.

SEcundum est ad constructionem loci, ut repræsentetur nobis campus amplissimus circa Hierosolymam, in quo Dominus IESVS Christus, tamquàm bonorum hominum omnium summus Dux assistat. Rursùm alter campus in Babyloniâ ubi se Lucifer, malorum & adversariorum ducem exhibeat.

TErtium, ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali Ducis, invocatâ simul Divinâ ope ad eas vitandas; veri autem, optimique Imperatoris Christi, agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.

PVnctum primum eſt, † imaginari coram ocu-lis meis, apud campum Babylonicum, ducem impiorum in cathedrâ igneâ, & fumosâ ſedere, horribilem figurâ, vultuque terribilem. B

B ſ. Verba penè ſingula S. P. Noſtri ſi attendas, pondus habent. Nonnulla delibemus. In primo Puncto, de Duce impiorum, *Campus Babylonicus*, rerum omnium perturbationem; *cathedra*, ſuperbiam; *ignea*, perpetuam concitationem, quietis paciſque expertem; *fumoſa*, vanitatem ac caliginem ſignificant: aſpectus horridus & terribilis demonſtrat, cujuſmodi futuri ſint ejus ſermones; turbulenti videlicet, & ſtrepitu ac terrore pleni. In tertio item puncto, cupiditas diuitiarum, & honoris ambitio, perappoſitè vocantur *laquei*, & *catenæ*. Sed pluribus ſuperſedeamus. Nam majorem menti guſtũ afferent, quæ quiſq; notaverit ſuo marte.

SEcundum eſt, aduertere quomodò convocatos dæmones innumeros per totum orbem ſpargit ad nocendum, nullis ciuitatibus & locis, nullis perſonarum generibus immunibus relictis.

TErtium, attendere cuiuſmodi concionem habeat ad miniſtros ſuos, quos inſtigat, ut correptis iniectiſque laqueis, & catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde poſteà faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in ſuperbiæ barathrum deturbari queant. C

Atque ita tres ſunt præcipui tentationum gradus, in divitijs, honoribus, & ſuperbiâ fundati; ex quibus in alia vitiorum genera omnia, præceps fit decurſus.

Similitèr ex oppoſito, conſiderandus eſt ſummus optimuſque noſter Dux & Imperator Chriſtus.

PVnctum primum erit, conſpicari Chriſtum, in amœno campo iuxtà Hieroſolymam, humili quidem conſtitutum loco, ſed valde ſpecioſum formâ, & aſpectu ſummè amabilem.

SEcundum autem eſt, ſpeculari quo pacto ipſe mundi Dominus univerſi, electos Apoſtolos, diſcipulos, & miniſtros alios per orbem mittat, qui omni hominũ generi, ſtatui, & conditioni doctrinã ſacram ac ſalutiferam impertiant.

TErtium, auſcultare concionem Chriſti exhortatoriam, ad ſervos & amicos ſuos omnes in opus tale deſtinatos, quâ eis præcipit, ut iuvare ſtudeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad ſpiritualem affectum paupertatis: & inſuper (ſi divini obſequij ratio & electio cæleſtis eò ferat)
C ad ſectandam actu ipſo veram paupertatem: † deinde ut ad opprobrij, contemptûſque deſiderium alliciant, unde humilitatis virtus enaſcitur. Et ita tres conſurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abiectio ſui, atque humilitas.

C ʃ Illi qui ſtatum paupertatis, jam aſſumpſerunt, debent hæc intelligere, de indigentiâ, incommodis & effectibus paupertatis: ſicut diximus ſuprà ad 3. punctum. 2. partis Contemplationis, de Regno Chriſti. Eſt enim paupertа-

pertas triplex. 1. Paupertas Spiritûs. 2. Paupertas rerum, quæ tamen careat indigentiâ, sive effectibus paupertatis. 3. Paupertas indigentiæ, quæ conjuncta est cum incommodis & effectibus paupertatis.

Hanc in rem offert se præclara quædam sententia S. F. Xaverii, qui Epistolarum à Tursellino in latinum conversarum lib. 3. Epistolâ 4. scribens Societati Romam, sic loquitur: *ut multùm interest inter eos, qui rebus necessariis instructi Deo confidunt, & eos, qui confisi eodem, Christi imitandi studio, spoliant se rebus etiam necessarijs; ita qui spem habent in Deo extra mortis periculum, multùm differunt ab ijs, qui Dei præsidio freti, divinæ gloriæ causâ sponte capitis discrimẽ subeunt, quod utiq; vitare possint, si velint.* Agit ibi Indiarum Apostolus de duabus rebus ex quatuor, quas in fundamento monuimus animo semper objiciendas, sed de duabus aliis rebus idem dici potest. nimirùm interest multùm inter eos qui in oratione, extra omne periculum positi, vitam & sanitatem suam Deo devovent; & eos, qui Dei causâ adeunt, & vitæ & sanitatis periculum, vel etiam (quod S. Fr. Xaverius alibi censet esse singulare beneficium) utramque perdunt: inter eos, qui pauperes spiritu sunt; & eos qui rerum paupertatem amplexi sunt; & eos qui insuper effectus paupertatis patiuntur: Inter eos denique qui ad contemptum, ludibria, &c. sese paratos identidem profitentur; & eos, qui eiusmodi opprobria, falsas accusationes, &c. cum Christo, & propter Christum re ipsâ patiuntur, nullâ tamen datâ ad id occasione. *Etsi enim*, inquit ibidem S. Fr. Xaverius, *spes & fiducia Divinæ* (idem dici potest de cæteris donis Cælestibus) *ad Dei arbitrium tribuitur hominibus, plerumq; tamen impertitur ijs, qui se ipsi omni ratione superare conantur*: re ipsâ videlicet ferendo crucem, quæ in quatuor supradictis rebus potissimùm consistit.

Qui hoc spiritu imbutus sub vexillo Imperatoris Christi militat, illi profectò gravis non erit Regula 24. summarij de effectibus paupertatis tolerandis: nec Regula sequens 25. de acquiescendo vilissimis, quæ tribuentur; cui Regulæ in Exam., Cap. 4. §. 26. adiungit S. P. N. hæc

verba

verba: *Cum enim qui primi in societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint; qui post eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eò pertingant, quò illi pervenerunt, vel ulteriùs etiam in Domino progrediantur.*

litas, quæ ex diametro divitijs, D † honori, & superbiæ opponũtur, ac virtutes omnes statim introducunt.

D § ☞ Cur S. P. N. omiserit castitatẽ inter perfectionis gradus, explicat Suarez Tom. 4. de Relig. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. n. 29. Quia S. P. N. disponit ibi hominem ad electionem faciendam. In concupiscentiâ autem carnis, *quidquid in eo genere vitiosum est, non cadit sub electionem, sed per se notum est, debere moderari ante omnem electionem de maiori perfectione: quidquid autem ampliùs est, non disponit ad electionem, sed de illo est electio.* Hæc satis est delibasse: possũt ibi videri plura, veluti de omissâ quoque obedientiâ.]

COlloquium posteà formandum erit ad Virginem Beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim & E manere † sub vexillo eius; Idq; primùm, per spiritualem tantùm paupertatem, aut etiam in rerum expoliatione sitam, (siquidem ad eam me vocare, atque admittere dignabitur;) deinde per abjectionem quoque, seu ignominiam, ut ipsum imiter viciniùs, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei, tam in alicuius detrimentum, quàm in offensam Dei cedat.

E § Vox illa, *recipi*, ad illos referri potest, qui statum proprium necdum habent, ut illum eligant: vox verò *manere*, ad eos, qui jam statum elegerũt, ut electum perficiant.

Vide Direct. Cap. 19. §. 3. Cap. 23. §. 3. & Cap. 29. §. 3. & 8.

Terminabitur primum hoc colloquium per *Ave Maria.*

SEcundum Colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi à Patre impetret illud idem, subdeturque in fine oratio, *Anima Christi.*

TErtium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum *Pater noster.*

TRansigetur hoc Exercitium semel in mediâ nocte, & alterâ vice sub auroram.

REpetitiones verò duæ circa matutini sacri, atq; vesperarum tempus erunt faciendæ, additis in fine tribus Colloquijs. Sequens verò Exercitium fiet ante cœnam.

MEDITATIO

Eodem quarto die facienda, de tribus hominum classibus, † seu differentiis, ut potissimam partem amplectamur. A

Oratio

A § Admirabili sapientiâ hanc S. P. Nostro Meditationem inspiravit Deus. Est enim apposita vel maximè, ut præparatio animi, in Meditatione de duobus vexillis concepta, magis magisque confirmetur, & scilicet ut in rem deducatur, omni morâ postpositâ.

Vide clariorem versionem ex autographo in fine, tam præludij primi, quàm primæ & tertiæ classis, atque Notandi subjuncti lit. O. P. Q. R, legenda quoque est Annot. 16. inter 20. ut benè intelligatur dispositio animi, quæ requiritur in tertiâ classe.

Cæterùm de hac Meditatione legendum Direct. Cap. 29. à §. 3.

à §. 3. usque ad 8. ubi notatur modum acquisitæ pecuniæ non fuisse illicitum, illustratur etiam meditatio similitudine trium ægrotorum.

Oratio præparatoria, ut semper antehac.

PRæludium primum fiat, propositis vice historiæ, tribus hominum classibus distinctis, quarum unaquæque decem millia ducatorum, alio quàm divini cultûs & amoris studio sibi paraverit: nunc autem placatum habere DEVM, & salva fieri exoptet, sublato * utcumq; noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento.

SEcundum est, loci cuiusdam imaginaria constructio, in quo videam meipsum coràm DEO Sanctisque omnibus, cum desiderio adstantem, atque perseverantem, quonam pacto ipsi DEO placere queam potissimùm.

B TErtium est, optatæ rei petitio, nimirùm gratiæ, per quam id eligã, † quod & DEO acceptissimum, & mihi saluberrimum futurum sit. Pri-

B § In hac meditatione tria benè oportet intelligere.

1. Quòd in electione rerum consistat præcipuè virtutis, ac perfectionis omnis negotium. Propterea S. P. N. toties Electionis mentionem ingerit. *Consentaneum est -- quæ ad finẽ ducũt ELIGERE. Si ELECTIO cælestis eò ferat. ELIGAM potiùs cum eo paupere, spreto, &c.* Ideo materiam de electione universam, tam plenè accuratèque tractat.

2. Quod in hac meditatione S. P. N. unicum exemplum Electionis proponat, in illis, qui se exuere optant rerum temporalium affectu. Sed meditatio similiter applicanda est ad res alias, veluti ad honorem, &c. id quod clarè patet ex *fundamento, tertio gradu humilitatis,* pluribusq;

locis. Hoc autem exemplum de temporalibus potiùs hîc posuit S. P. N. quia ferè contingit, ut inchoetur tentatio à cupiditate divitiarum, sicut vidimus in meditatione de 2. vexillis.

3. Quòd applicatio huius meditationis fieri debeat ad res etiam alias, non tantùm quatenùs de statu vitæ eligendo agitur; sed quatenùs agitur quoque de eligendis ceteris rebus particularibus. Sic narrantur Sancti aliqui obstrinxisse se voto, eligendi semper *Deo acceptissimum*: id quod admirandum magis, quàm imitandum videtur esse. At verò S. P. N. citrà obligationem voti, per Regulam summ. 17. vult, ut nostri *omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum: verùm etiam circa RES OMNES PARTICULARES.* &c. In electione autem rerum illarum particularium, non minùs impedimur inordinato affectu erga vitam, sanitatem, divitias sive commoda, & erga honorem; quàm in electione statûs. Ideoque affectus ille, per hanc aliasque meditationes expurgandus est.

PRima igitur classis optat quidem acquisitæ rei exuere affectum, ut conciliari Deo possit: sed media, * debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet.

SEcunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit: sed rem interim mordicùs tenere, ac Deum potiùs trahere ad votum proprium, quàm relicto impedimento, per conducibiliorem statum ad illum tendere.

TErtia postremò affectum insincerum volens abijcere, rem ipsam vel tollere, vel tenere æquè parata est: prout ad divinum cultum commodiùs fore, vel ex divino instinctu, vel ex rati-

C onis dictamine † animadvertit: * Ac, interim omnia relinquens integra, illud tantùm versat, & inquirit, nec aliam admittit relinquendæ, aut retinédæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium divina gloriæ, vt quàm maxima sit.

*q

C § ☞ Vide hunc locum explicatum apud Suarez To. 4. de Relig. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. n. 42. & 44. *insinuatur enim*, inquit, *ibi duplex modus, quo mouetur homo à Spiritu S. quos Theologi distinguūt. Unus est per Spiritûs S. Donum, quem optimè vocat Ignatius*, EX DIVINO INSTINCTU, *in quo homo magis agitur, quàm se agat: alius pertinet ad virtutes, in quo homo operatur per discursum, & dictamen rationis, non quidem sine lumine & auxilio supernaturali, sed illis adiutus.* vide ibi plura.]

COlloquia tria subsequentur, ut nuper facta sunt de vexillis.

D NOtandum ad hæc, † quòd ubi affectum sentimus paupertati perfectæ, quæ tum in spiritu, tum in rerum abdicatione subsistit, aduersantem, & ad divitias magis inclinantem: multùm confert, ad eum elidēdum, petere ex Deo, licet renitente carne, ut ad paupertatem eiusmodi sectandam nos eligat: * seruabimus tamen intereà desiderij nostri libertatem quà liceat convenientiorem servitio diuino viam invadere. hoc nihil impediat electionem.

*r

D § De hoc Notando legēdum Direct. C.30. §. 2. ubi traditur: quòd virga incurva flectenda est in contrariam partem, ut deinde manens in medio, fiat recta; quod præsertim, ut ibidem benè obseruatur, locum habet in hac materiâ, cum illa pars sit securior, & Et est

QUIN-

Et est valdè notandum, quod S. P. N. sæpiùs nos doceat, quòd debeamus nos potiùs inflectere, in eam partem, quâ plurimùm subtrahitur sensualitati & amori proprio, sicut ostendimus in Explanat. Addit. 10. hebd. 1. lit. G. Quia verò S. P. N. per hasce meditationes, & per hoc *Notandū* ijs annexum, ducere nos vult ad tertium humilitatis gradum, cui valdè consonat Regula 11. summarij; lubet hîc adscribere verba Regulæ 12. sequentis, desumpta ex §. 46. C. 4. Exam. quæ sic habet: *ut meliùs ad hunc perfectionis gradum*, ad tertium scilicet humilitatis gradum, *in spirituali vitâ tam pretiosum perveniatur, majus ac impensius studium cuiusq; sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quo ad poterit, mortificationem*. hoc ipsum est, quod S. P. N. petendum hîc dicit *renitente carne*, major scilicet abnegatio & mortificatio *carnis, sensuum, amorisq; proprij & mundani*, idq; *quoad poterit*, erga divitias, honores, &c. per quam nullatenus impeditur libertas Electionis. Quin imò, quò illa abnegatio & mortificatio est major, eò magis juvat ad voluntatem Dei cognoscendam, sicut videre est in Addit. 10. hebd. 1. not. 3. & in Reg. 4. de victu temperando.

QVINTA DIE †

A §. Huic diei, & undecim sequentibus assignat S. P. N. argumenta singularum Meditationum: ita tamen, ut mox primo loco annotet, quòd *iuxta temporis facultatem, & utilitatem personæ sese exercentis, possunt aliquot Meditationes, vel adijci - - - vel subtrahi, &c.*

Sed assignat unicuique diei unicum tantummodò mysterium, ne scilicet mens electionis negotio nunc occupata, plurium mysteriorum contemplatione fatigetur. De quo vide Direct. Cap. 31. §. 2.

Pròponit verò argumenta Meditationum quàm brevissimè, quæ in fine libelli sui paulò pluribus explicat. Nos quoque in eundem locum differimus declarationem huius & sequentium Meditationum.

Sequetur contemplatio de Domini transitu, à Nazareth ad Iordanem fluvium, deq; ejus baptismo, ut infrá in mysteriis vitæ Christi.

B Fiet tam mediâ nocte, quàm primo manè. Bis præterea repetetur † circa Missæ, ac vesperarum horam. Ante cœnam applicabuntur quinque sensus. Ad hæc quodlibet horum quinque Exercitiorum præcedet Oratio præparatoria, cum tribus Præludiis, ut in superioribus de Incarnatione & Natiuitate traditum est. Nec non adiectis tribus Colloquiis, ut circa Classes, vel juxta id, quod ibi fuit subnotatum.

B ∫ En discrimē clarum ex sententiâ S. P. Nostri Meditationem inter & repetitionem. Nam quintâ die sic loquitur: *Fiet* (eadē scilicet de mysterio eodem Meditatio) *tam mediâ nocte, quàm primo manè; bis præterea repetetur, circà Missæ ac Vesperarum horam.* Ubi vides, secundū Exercitium in aurorâ non vocari repetitionem, quantumvis de eodem fiat argumento: quia videlicet perinde faciendum est, atque si mediâ nocte nulla fuisset Meditatio. At in repetitionibus, respectandum identidem est ad priores Meditationes de eodem Mysterio tactas: *Notando ubiq; & fixiùs tractando illas partes, in quarum priore transcursu aliquid illustrationis, consolationis, vel desolationis acceperim.* Nempe habetur in repetitione delectus aliquis ex Meditationibus ante factis: qui delectus si absit, censebitur esse iterata Meditatio, & bis facta de eodem mysterio, non repetitio. Sic qui de mysterio eodem nunc meditatur, de quo ante unum alterumvè annum iterum meditatus fuit; non dicetur repetere prius Exercitium: sed eodem prorsùs modo iterum resumere

idem argumentum, atque si numquam de eo meditatus fuisset.

EXamen autem particulare à prandio & cœnâ usitatum, fiet hic, & in sequentibus de erratis ac negligentiis, quæ circa proprias eius diei meditationes, & Additiones contigerunt.

SExtâ deinceps die, contemplandum se offert, quomodò Christus IESUS à flumine Iordanis petierit desertum, ibiq; versatus sit. Seruatâ omninò Exercitij diei quintæ formâ.

SEptimâ, quomodò Beatus Andreas, & alij successiuè Christum secuti sunt.

OCtavâ, quomodò sermonem fecit Dominus in monte, octo beatitudinis modos edisserens.

NOnâ, quomodò navigantibus discipulis se ostendit ambulans super aquas maris.

DEcimâ, quomodò in Templo docuit.

VNdecimâ, de Lazari suscitatione.

DVodecimâ, de gestis in die palmarũ. Suprà dicta mysteria, vide infrà inter mysteria vitæ Christi.

Notanda hoc loco sunt hæc tria.

PRimò, quòd in hac secundâ hebdomadâ juxtà temporis facultatem, & utilitatem personæ sese

exer-

exercentis, possunt aliquot meditationes vel adiji-ci, ut de mysterijs visitationis, pastorum, circumcisionis, & trium Regum; vel subtrahi ex suprà-positis, quippe, quæ introductione tantùm deline-antur, ad formandam meliùs contemplationem.

A SEcundò, * quòd inchoanda † est electionum
* ſ discussio à contéplatione di-scessûs Christi ex Nazareth Iordanem versùs usque ad eam, quæ fit quinto die, simul comprehendendam.

A ſ De electione quam S. P. N. dicit in secundo Notando inchoandam *à contemplatione discessûs* CHRISTI *ex Nazareth Jordanem versùs*, deque eligendi modo & praxi legendũ Directorium à Cap. 22. usque ad 34. Ibi enim pulcherrimè & plenissimè omnia explanantur: sicut magis sigillatim indicabimus, ubi ad singulas electionis partes pervenerimus.

☞ Ut hic locus *Secundi Notandi* concilietur cum præludio de statibus, quod positũ est suprà à S. P. Nostro post Meditationes tertiæ Diei, sciendum est primò, quòd per totum diem tertium, in meditationibus menti obijciantur exempla utriusq; status: præceptorum scilicet, in subjectione Christi erga Parentes; & consiliorum, in eius remansione in templo. Ideoq; S. P. Noster, in præludio de statibus dicit, quòd *opportunum hîc erit - - - vestigare & efflagitare proprium vitæ genus.* Ubi per *vestigare*, non intelligit præcipuã illam discussionem, quæ deinde fiet in electione; sed per vocem *efflagitare*, explicat vocem *vestigare*, ut sit quasi desiderium & petitio electionis bonæ faciendæ. Quod patet ex verbis his, quæ subjunguntur: *ad hoc igitur inquirendũ possumus introduci. &c.* ubi clarè loquitur de inquisitione faciendâ, non factâ: quamquam motiones quædam, spectantes ad secundum tempus Electionis, nec in hac, nec in aliis meditationibus sunt impediendæ. Quæ motiones meditationibus tertii illius diei magis propriæ sunt, quia

ob oculos versatur diversitas utriusq; status. Eatenus igitur nonnulla quoque vestigatio intelligi posset.

Sciendum 2. quòd quartâ die de vexillis, & de hominũ classibus, & tres modi humilitatis, cum suis colloquiis, sint meditationes, quæ, non quomodolibet, sicut cætera exercitia, sed proximè disponunt mentem ad electionum discussionem rectè aggrediendam.

Sciendùm 3. Quòd præcipua illa discussio electionum quinto die inchoanda sit; ut habetur in *Notando secundo*, de quo agitur: ideoque tunc unum tantummodò mysterium proponitur quoq; die, ut faciliùs vacemus discussioni: id, quod locum maximè habet, dum discussio fit tertio tempore electionis.

Ex his etiam intelligi potest §. 2. Cap. 29. Direct. ubi dicitur: quod meditationes Electionis inchoentur, vel *quarto die*; quod verum est, si intelligantur meditationes proximè disponentes: vel *quinto die*; quod item verum est, si intelligantur meditationes, cum quibus coniungi debet discussio electionum. Quando autem dicitur ibidem, quod inchoentur meditationes *quartâ die*, per exercitium de remãsione in templo; sumitur exercitium illud exclusivè. Nam constat Exercitium illud tertio die positum esse.

Clarè autem legetur hoc *Notandum*, ex correctione quæ facta est ad autographum hoc modo.

Secundò, quòd inchoanda est electionum discussio à contemplatione discessûs Christi ex Nazareth Iordanem versùs inclusivè, quæ fit quinto die, ut in sequentibus declaratur.]

Tertiò, quòd antequàm electionum † materiam aggrediamur, ut ad capessendam germanam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, apprimè iuvat considerare, ac per diem totum revolvere idemtidem tres sequẽtes modos humilitatis, nec non colloquia dicenda, crebrò agitare. A

A § Lege Directorium Cap. 23. §. 3. & Cap. 29. §. 8. Explicanda tamen sunt verba hæc S. P. Nostri: *Apprimè iuvat considerare ac*

Pri-

ne ac per diem totum revolvere identidem tres sequentes modos qumilitatis, nec non colloquia dicenda crebrò agitare.

Item illa Directorij: *Toto die illos animo verset --- extra Meditationem, imò etiam in Meditatione, &c.* Neque enim existimandum est, nos hîc restringi ad diem unicum. Sed, sicut dum dicitur, per totum diem, sive noctu diuq; studendum est; id de pluribus diebus ac noctibus persæpè accipitur; sic non est, cur considerationem illam trium humilitatis graduum de die unico, & non de pluribus intelligamus. Præscribit enim S. P. N. ut considerationi illi conjungatur *triplicis colloquii præcedentis de vexillis usus*, & quidem frequens: nam vult nos *colloquia dicenda crebrò agitare.* Plurium autem dierum frequentatio necessaria esse videtur, ut quis usum eumque crebrum habeat. Atque utinam tres illi humilitatis gradus numquam animo nostro exciderent, ob summam & utilitatem, & excellentiam, quæ in ipsis inest: sed potissimùm in tertio gradu, sicut jam declaraturi sumus.

B PRimus humilitatis modus hic est, ad salutem necessarius † ut me penitùs subdam divinæ legi observandæ, utque ne mundi quidē totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

B § Primum humilitatis gradū, ad salutem necessarium, satis constat, fructum esse primæ Septimanæ.

C SEcundus maioris † est perfectionis, ut fixo animo, ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ, ac longitudinem, æquè sim propensus, ubi æqualis

C § Secundus gradus, qui majoris est perfectionis, deducitur ex fundamento. Ideoq; eadem

dem res hîc commemorantur, quæ ibi propositæ fuerunt: videlicet divitiæ & paupertas; honor & ignominia; brevitas & longitudo vitæ. Quod si, ut ibi vidimus, *debemus absq; differentiâ nos habere, circà res creatas omnes - - - - ita ut (quod in nobis est) non quæramus sanitatem magis, quàm ægritudinem: neq; divitias, paupertati; honorem, contemptui; vitam longam, brevi præferamus*: necesse quoq; est, *ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem æquè sim propensus; ubi æqualis est Divinæ laudis, & salutis meæ occasio*. Tunc enim utrumq; confert æquale pondus ad prosecutionem finis: qui est sincera & vera ratio, quâ unâ moveri debeo in delectu usuq; rerum creatarum. Quidquid autem extra hanc rationem finis menti obijcitur, est non tantùm *vanitas*; sed etiam *afflictio spiritûs*, Eccle. 1.

lis est diuinæ laudis, & salutis meæ occasio. Utque nullâ, vel humanæ quantæcumque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propositâ, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantùm, decernam admittere.

Jam si sciam, vel honorem, vel divitias, vel sanitatem, & vitam amittendam esse, nisi admittam id, quod fini meo obest; quale est peccatum veniale: certúm est, quod numquam adduci possim, quamdiu manet illa animi in utramq; partem æqualis propensio, *ut culpam, licet venialem tantùm decernam admittere*. Nam id si decernam, jam recedo ab illo animi æquilibrio.

TErtius est modus † humilitatis absolutissimæ, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere, spreto, & illuso, pau-

D § Sed quæcumque jam dicta sunt, absorbet quodammodò, nosque eximiâ suâ pulchritudi-

ſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem. Porrò ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum afferet compendium, triplicis colloquij præcedentis de vexillis uſus, per quod ſuppliciter poſcamus (ſi divinæ placeat benignitati) ad talem perduci electionem, ſive maior, ſive æqualis obſequij mei erga Deum, & gloriæ divinæ proventus ſubſit. Prælu- tudine ad ſe rapit tertius gradus *Humilitatis abſolutiſſima.* In illo ſiquidem vivis expreſſa coloribus nobis exhibetur imago quædam optimi noſtri Imperatoris JESU Chriſti, qui *humili quidem* eſt conſtitutus *loco*; *ſed valdè* ſpecioſus *formâ & aſpectu ſummè amabilis.*

Eſt verò hic Humilitatis gradus in eo ſitu, *ut ---- etiamſi nullo ſuperaddito, laus Dei par foret.* Quamvis, inquam, apud animum meum ea perpendendo, quæ in *fundamento* didici, videretur in hac & illâ re, veluti in honore & contemptu, ad finem ob quem conditus ſum conſequendum, par utrimque eſſe momentum: *ad maiorem tamen imitationem* CHRISTI (poſtquam videlicet ejus inſtitutione & exemplo, in Meditationibus de *R*egno CHRISTI, & de duobus Vexillis, totus ad ipſum ſequendum & amandum exarſi) *eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto & illuſo; pauperiem, contemptum & inſipientiæ titulum amplecti; quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.*

☞ Ad majorem intelligentiam huius gradûs,

Nota 1. Verba illa, quæ in ſecundo gradu ponuntur, *ubi æqualis eſt DIVINÆ LAUDIS, ET SALUTIS MEÆ OCCASIO,* conſonant illis, quæ habentur in præludio ad Electionem ubi præcipitur, ut *ſpectemus, quorſum fuerimus creati, nimirùm AD LAUDEM DEI, & SALUTEM NOSTRAM.* Item illis, quæ ponuntur in 2. puncto prioris modi Electionis: *adducto ante oculos creationis meæ fine in hoc conſiſtente, ut CUM DEI LAUDE SALVUS FIAM,* Deniq; Verbis illis funda-

menti: *creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, & revereatur, EIQVE SERVIENS TANDEM SALVVS FIAT.*

Nota 2. In gradu illo secundo humilitatis, & in omnibus citatis textibus, considerat S. P. N. solum finem creationis, neque superaddit quidquam de Christi imitatione: quâ sepositâ, non promovet nos ultra indifferentiam, hoc unicè inculcans, quod *debemus absq; differentiâ nos habere*, quod debemus *in neutram declinare partem - - - quin potiùs velut in medio quodam interstitio, & aequilibrio subsistere.* &c.

Nota 3. In tertio humilitatis gradu, S. P. N. non solum finem creationis considerat; sed superaddit aliquid, videlicet *maiorem imitationem Christi*. Atq; ita differt tertius humilitatis gradus à secundo, per hoc; quòd in secundo cõsideretur solus finis creationis nostræ, ex eoq; oriatur indifferentia animi ad utrumque. In tertio autem consideratur etiam exemplum Christi, ex quo oritur desiderium eligendi, ceteris paribus, illud, per quod magis illi assimilamur.

Nota 4. Si quæratur, quid Christum moverit, ut potiùs paupertatem & opprobria elegerit, quàm divitias & honores; quandoquidem dici non debeat motus fuisse proprio sui ipsius exemplo? afferri possunt causæ electionis eiusmodi plures. *1.* Quia via illa crucis aptior erat ad satisfaciendum pro peccatis nostris. 2. sicut notat Suarez Tom. 4. de Relig. Tr. 10 lib. *9.* Cap. *5.* n. 26. Quia spernendo vanam & brevem mundi felicitatem, gradum sibi fecit ad gloriam veram & sempiternam. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. ult. 3. Quia per cupiditatem divitiarum, & honoris, quasi laqueis & catenis iniectis, hostis malignus, multos trahebat ad æternam ruinam. *4.* Quia adversa huius vitæ magis impellunt, ad cælestia quærenda: & prospera facilè ab ijs avocãt mentem, quando non tamquam medijs, sed, tamquam fini, illis adhæremus. Ob similes rationes sic loquitur Suarez suprà: *& præterea in eligendâ maiori temporalium rerum abiectione (etiamsi in aliis sit aequalitas) in hoc semper*

per est excessus, quòd illa via est securior, & aptior ad magis merendum, &c. Plura dici hîc possent, Sed opus non est scrutari *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 2. satis nobis est, quod Christus, qui est sapientia æterna, elegerit nostrâ causâ, & ex charitate erga nos viam paupertatis & crucis; ut vicissim in nobis oriatur amor erga ipsum, & ardor nosmetipsos quàm proximè ei assimilandi, non tantùm quando divitiæ & honores obessent nostro creationis fini, sed etiam quando in illis ad eumdem finem par esset momentum; atque in paupertate & contemptu. Id quod in particularibus casibus, & hypothesibus fieri potest: quidquid fortassè sit de thesi sive generali quæstione, an in abstracto quodammodo considerata via paupertatis, & contemptus, præferenda sit viæ divitiarum & honorum? nam id, quo in thesi, pars una videretur præponderare alteri, potest æquari in hypothesi per particulares conditiones personarum, temporum, &c.

Nota 5. Quamvis spectato fine creationis laus Dei par sit, *nullo superaddito*; quando tamen superadditur illa imitatio Christi, de quâ agitur in tertio gradu humilitatis, iam tollitur illa paritas, & à secundo gradu ascenditur ad gradum eminentissimum, qui in Christi imitatione potest excogitari. *Fateor*, inquit Suarez suprà, *ab hoc motivo*, conformitatis ad Christum, *numquam esse separabilem maiorem Dei gloriam, & maiorem fructum gratiæ, ac perfectionis spiritualis, ceteris paribus.*]

Hic tertius Humilitatis gradus, qui castissimum erga JEsum Christum amorem in se complectitur, est medulla quædam & compendium totius viæ illuminativæ. Est thesaurus absconditus in horum Exercitiorum agro, qui benè emitur venditis omnibus, quæ habemus. Est margarita illa, quam sapiens negotiator comparat quantovis pretio.

Hæc est sapientia illa cælestis, quâ S. P. N. nos instituit, *non in sapientiâ verbi*. Nam erat *homo literarum planè rudis*, quando composuit *admirabilem illum Exercitiorum librum. Sapientiam autem* loquitur --- *non huius sæculi, neq́ Principũ huius sæculi, qui destruũtur; sed* loquitur *Dei sapienti-*

pientiam in mysterio, quæ abscondita est. Revera enim tertius hic humilitatis gradus mysterium est, in quo latet abscondita Dei sapientia, quam CHRISTUS Matth. 16. complexus est his verbis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.*

Nihil itaque S. P. N. in hoc humilitatis gradu docet, *nisi IESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum*, 1. Cor. 2. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, Coloss. 2.

Quapropter S. P. N. non immeritò dixerit cum Apostolo 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus* in tertio gradu Humilitatis CHRISTUM *Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis*, ac nominatim vocatis in *Societatem* IESU, CHRISTUM *Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Quid enim magis stultum aut magis infirmum est mundo, quàm tertius gradus Humilitatis? Et tamen quod in eo latet, sapientius est, & fortius hominibus. *Videte enim vocationem vestram, Fratres; quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi*, hoc est, sectatores tertij gradûs Humilitatis, *elegit DEUS, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEUS, & ea quæ non sunt:* quia nimirùm in tertio Humilitatis gradu ista infirmitas & ignobilitas ita insunt, ut, qui huic gradui sunt addicti, non secùs contemnantur & irrideantur à mundo, atque si nihil essent; & tamen ea elegit DEUS, *ut ea quæ sunt destrueret*, mundum scilicet, carnem & diabolum, hostes capitales Dei & salutis nostræ.

Ex hoc tertio gradu humilitatis S. P. N. hausit & conscripsit paragraphum illum 44. Cap. 4. Examinis, qui trãslatus est in Regulam 11. Summarij. Ut semel dicam, Constitutiones nostræ, & tota societatis forma ex libro Exercitiorum, tamquam ex radice natæ sunt. Sed non est nostri instituti id pluribus exponere.

Nos verò si toti fuerimus in studio illius tertij gradûs Humilitatis, dicere item poterimus cum Apostolo ad Galat 6.

lat. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo* --- *Et quicumq; hanc regulam*, tertij gradûs Humilitatis, *secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, &c.*

Sed quoniam mens nostra nimis imbecilla est, quàm ut tam pulchram, & non minùs suavem quàm sublimem doctrinam capiat; & multò imbecillior est facultas nostra, ut eam exequatur; numquam intermittenda sunt colloquia, de quibus hîc agitur; sed per totum diem quotidie agitanda; præsertim in Meditationibus. Quin imò, quamdiu vivimus, ad illum tam præcelsum virtutis gradũ enitendum est.

A *Præludium ad electionem faciendam.* †

A §. Hoc Præludium est planum illis, qui *Fundamentum* animo altè impresserint, ut notat Direct. Cap.30. §. 1.

AD benè quippiam eligendum, nostræ sunt partes, ut oculo puro ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creati, nimirùm ad laudem Dei, & salutem nostram. Quapropter eligenda sunt ea tantùm, quæ conducunt ad dictum finem; cùm ubique fini medium, non medio finis habeat subordinari. Unde errant, qui vxorem ducere primitùs, aut Ecclesiasticum munus seu beneficiũ adipisci statuunt, atque ita demum Deo posteà inservire, utentes præposterè fine ac medio, nec ad Deum tendentes rectà, sed obliquè ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes. Atqui è contrario planè agendum est, proposito primùm divino cultu, tamquam fine nostro, & electo dein-

ceps coniugio, vel ſacerdotio, ceteriſque rebus omnibus, † quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis. Idcircò nihil movere nos debet, ad medijs quibuſvis utendum, aut ſuperſedẽdum, niſi habitâ in primis tam divinæ laudis, quàm noſtræ ſalutis, certâ ratione. B

B ♂ Ex verbis illis: *Electo deinceps Coniugio, vel Sacerdotio, ceteriſq; rebus omnibus*: diſcimus, hæc omnia, quæ de electione habet S. N. P. non modò ijs tradenda eſſe, qui ſtatum necdum habent; ſed etiam alijs, ut *de cæteris rebus omnibus* rectè deliberent, *prout libertati arbitrij noſtri ſubiecta ſunt, & non prohibita*.

Sicut itaque, Exercitiorum tempore, de ſtatu vitæ; ſic de negotio alio poteſt inſtitui deliberatio, & electio. Sed quãvis nulla res in deliberationem veniret, omnia nihilominùs, quæ de electione traduntur, pari diligentiâ conſiderari & intelligi debent. Animus enim benè doctrinâ hâc imbutus, facilè deindè rectam inſtituet electionem, quando de re quâpiam dubiâ ſtatuendum erit.

Huc ſpectant Directorij Cap. 22. ♂. 3. & Cap. 23. ♂. 3. ubi inter cætera notatur, quòd non ſit aptus ad electionem, qui indifferentiam animi non habet, qualis ſcilicet in fundamento, & in hoc præludio deſcribitur. Omninò videnda de hoc eſt explanatio, poſita infra ad regulam 5. de diſtribuendis eleëmoſynis.

☞ Ad hoc præludium etiam ſpectat Cap. 24. Directorij. ♂. 2. ubi notatur, quòd ille qui tradit alteri exercitia, debeat quoq; ſuo modo indifferens eſſe. Quin imò debet & ipſe deliberare habitâ ratione conditionis perſonæ, quæ exercetur, & attentè conſiderare, *quid commodi, vel incommodi poſſit occurrere ad illud præſtandum, quod alter electurus vel promiſſurus ſit*. de quo vide annotat. 14. & 15. inter 20.]

Intro-

Introductio ad eligendarum rerum notitiam, complectens quatuor puncta, & annotatiunculam unam.

PRimum punctum est, quòd res omnes, quæ sub electionem cadunt, † necessariò bonæ esse debent ex seipsis, aut certè non malæ, nec nisi consonæ institutis orthodoxæ Matris Ecclesiæ.

A A § Videndum Cap. 25. Direct. ubi res omnes, in tria genera dividuntur. Primum genus est, consiliorum; circa quæ varia indaganda proponit. Secundum est, servandorum præceptorum, de quo etiam nonnulla inquirenda. Tertium genus est particularium negotiorum, in quorum electione docet etiam requiri illam præparationem & indifferentiam animi, quæ omnia metiatur ex Dei honore, nec inflectatur ob aliquid terrenum, juxta præludium, de quo proximè est dictum.

SEcundum, quòd genera duo rerum electioni quadrant. Nam quarumdam electio immutabilis est, ut ordinis sacerdotalis, & matrimonij: aliarum verò mutari potest, † sicut redituum Ecclesiasticorum, vel sæcularium, quos recipi & relinqui ex causâ fas est.

B B § Hic iterum ex secundo Puncto manifestum fit, totam electionis materiam pertinere, vel maximè, ad eos, qui statum habent; ad eligendas res, quæ mutari justis de causis possunt. Quod idcircò tàm diligenter monemus, ut ne illi, qui statum habent, hanc partem de electione minùs sedulò inspiciant. Profectò S. P. N. Const. p. 3. Cap. 1. §. 26. quæ est

Ter-

Regula 17. Summarij, clarè mandat, ut *omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum*, hoc est, in Electione immutabili, *verùm etiam circa res omnes particulares*, hoc est in omni Electione mutabili.

☞ Suarez Tom. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 7. à N. 12. usq; ad 15. ostendit quomodò, incipientibus, proficientibus, & perfectis; laicis item & Religiosis; ijs qui statum habent, æquè ac ijs qui non habent accommodata sint Exercitia: *licet*, inquit, N. 15. *Religiosus iam non debeat de statu deliberare, potest meritò exerceri, ut in suo statu eligat optimum procedendi modum* . - - *Sæculares autem, etiamsi in sæculo permansuri sint, indigent etiam hoc auxilio, ut adversùs pericula, in quibus versantur, magis sint præparati* - - - *denique magnis etiam peccatoribus dandum est hoc remedium* &c, vide cap. 25. Directorij.]

Tertium, quòd circa ea, de quibus facta iam sit electio immutabilis, nihil supererit eligendum. Sed advertendum est, quòd si quis improvidè, nec sine obliquis affectionibus † aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum est, ubi eum cœperit pœnitere facti, electionis damnū probitate vitæ, & operum solertiâ pensare: resilire autem nullo pacto decet, quamvis electio istiusmodi non videatur vocatio divina esse, utpote obliqua atque incōsulta. Quâ in re non pauci errant, electionem malam, & obliquam pro divinâ vocatione reputantes, cùm hæc semper pura &

C ſ Obliquæ affectiones sunt, quæ nec purè, nec rectà diriguntur ad finem creationis nostræ; & quibus jungitur, & immiscetur affectio *carnis, sensuū, amorisq; proprij, & mundani*. Nam in mutabili æquè atq; in immutabili Electione, vocatio Divina, ut hîc dicitur, *semper pura & clara* est, *non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta*. Qui autem

ra & clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta. autē habet affectiones obliquas mixtas rectis, ingreditur duas vias. Vnam, quæ ducit ad finem, ob quem est creatus; alteram, quæ ab eodem fine abducit, ita ut de illo dici possit illud Eccli: 3. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus.*

QVartum, quòd, si quis debito modo & ordine, absq; carnali mundanoque affectu quippiam elegit, quod mutari possit, non est cur violet electionem talem, sed potiùs ut in eà magis ac magis proficiat, adniti debet.

NOtandum autem est, quòd si electio rerum huiusmodi mutabilium, non ita rectè atque sincerè processerit; eam expedit corrigere, † ut fructus uberior, & Deo gratior produci possit.

D ʃ Hæc est illa secunda gratia, inter tres nobis necessarias, quam petimus in Colloquio tertij Exercitij hebdom. 1. *ut operum nostrorum agnoscentes, abhorrentesq; ordinem perversum, correcto eo, nosmetipsos secundùm DEVM rectè ordinemus.* Nam reverà ordo est perversus & corrigendus, quando electio facta fuit *carnali, mundanoq; affectu.*

A De tempore triplici, † ad electiones rectè faciendas magis opportuno.

A ʃ Hæc tria tempora in Directorio Cap. 26. 27. 30. diligentissimè & accuratissimè explanantur.

TEmpus primum erit, quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio,

imò

B § ☞ Directorium Cap. 26. notat, hoc tempus sub regulam non cadere, nec à Deo petendum aut expectandum, & rarò accidere. Accedere tamen quasdam vocationes ad eam claritatem, ut ne quidem in illas videatur posse cadere dubitatio.

Hunc locum exponit Suarez, To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. n. 42. & 45. docens, quòd quamvis *tunc homo necessariò iudicet, impulsum Dei esse sequendum, nihilominùs in voluntate manere potest eligendi libertas (esto possit DEUS illam auferre) ne moralis fructus, & meritum actionis impediatur.* &c.]

imò etiam dubitandi facultas † animæ sublata sit, quò minùs sequatur impulsionem talē: sicut legimus Beato Paulo, & Matthæo, & alijs nonnullis, vocante Christo, accidisse. B

SEcundum est, quoties satis clarū compertumq; sit beneplacitum divinum, docente id aliquo consolationum † vel diversorum spirituum prævio experimento. C

Terti-

C § Idque sine ullo intellectûs discursu, aut ferè nullo, ut notat Directorium;

☞ De hoc loco alijsque veluti de Reg. 4. de victu, de regulis varijs discernendi spiritus, &c. in quibus docetur, quomodò ex consolationibus, illuminationibus, motionibus, &c. certò cognosci possit aliquid, agit Suarez Tom. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. à N. 30. usque ad 34. ubi ostendit, quàm malè conati sint aliqui hîc quidpiam reprehendere, & quàm rectè B. Ignatius materiam hanc tractaverit; quodq; nihil obesse debeat, hæreticos aliquos vocibus eiusmodi abusos fuisse. Quamvis autem spiritus ex illis illustrationibus, *evidenter aut cum certitudine fidei diiudicari non possint sine Dei revelatione*, ut loquitur N. 41. *nihilominus valdè probabili coniecturâ, & interdum moraliter certâ, potest de illis iudicium ferri.*]

D **T**Ertium eſt, † quando per animi tranquillitatẽ aliquis, conſiderato fine, ad quem conditus eſt (ad Dei gloriam ſcilicet & ſalutem ſuam) eligit certum vitæ genus intra Eccleſiæ Catholicæ limites conſtitutum, per quod ceu medium, commodiùs ſecuriùſque ad ſuum finem tendat. Porrò

D § Tertium tẽpus eſt, inquit Directorium, cùm intellectus ratiocinãdo, & ponderando rationes pro unâ & alterâ parte veritatẽ clariùs aſpicit, & veluti lumen voluntati præfert, ut voluntas id demum eligat, quod omnibus perpenſis meliùs fuerit judicatum. Itaque in primo & ſecundo tempore voluntas præcedit, intellectus verò quaſi tractus ſequitur.

Priora duo tempora continent viam excellentiorem & altiorem: ſed via tertij temporis ſecurior eſt, & tutior.

Pro primo & ſecundo tempore, neceſſaria eſt notitia, Regularum *de diſcernendis ſpiritibus*. Et ex prioribus quidem omninò neceſſariæ ſunt illæ, quæ explicant, quid ſit conſolatio, & deſolatio; videlicet Regula 3. & 4. cum ſequentibus. Poſteriores verò *R*egulæ omnes ferè neceſſariæ ſunt.

Debet enim electurus notare, ad quid conſtanter moveatur tempore conſolationis; ad quid tempore deſolationis, quando ſolet ſpiritus malus invadere animam eamq; obruere triſtitiâ, torpore, &c Notandum autem hoc eſt vel in oratione, vel extra eam. Ad tempus orationis ſpectant illa verba in colloquio Exercitij 1. hebdom. 1. *interdum propria qualibet communicando, ac petendo conſilium ſuper illis, ſive auxilium.* Item illa quæ de colloquio habentur poſt Contempl. 1. hebdo: 3. *prout in hanc vel illam partem de me ſtatuere intendo:* Ita videlicet eſt poſtulandum.

Iuverit ad id ex conſilio S. P. Noſtri DEO quaſi ante oculos ponere identidem res, de quibus deliberatur, & obſervare quodammodo, quænam illi gratior accidat.

Quod

Quod si secundo tempore facta non sit electio, superest tertium tempus. Imò, quamvis electio facta esset, quia tamen non est satis certum, quod illa motio voluntatis sit à DEO; securiùs erit adhibere etiam modos tertij temporis: & signum est spiritûs mali, qui amat tenebras, quando subterfugit lumen examinis huius tertij temporis, ut notat Directorium cap. 28. §. 5. & 6..

Sed hæc & plura ibidem, & locis supra citatis pleniùs & accuratiùs leges.

Porrò tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quotiescumque anima nullis agitata varijs spiritibus, † vires natu-

E § ☞ Dubitari potest, quomodo tranquillitas, quæ haud dubiè est bona animi constitutio, intelligatur esse, *quotiescumq; anima nullis est agitata variis spiritibus*: quādoquidem Annot. 6. inter 20. satis innuatur, non esse bonam animi constitutionem, si contingat, *nullas incidere spirituales animi commotiones, ut sunt consolationes vel tristitiæ, NEQUE DIVERSORUM SPIRITUUM AGITATIONES.*

Ut concilientur hi loci, possunt considerari quatuor modi, quibus animus afficiatur. 1. potest agi à solo spiritu bono, per veras consolationes. 2. potest agi à solo spiritu malo, per desolationes. 3. potest agitari ab utroq; spiritu contrariis commotionibus. 4. potest fieri, ut vix, aut ne vix quidem sentiat animus se ab ullo spiritu moveri.

De hoc quarto modo loquitur S. P. N. in Annot. 6. inter 20. Agit enim de eo, qui aggressus Exercitia, nullam in se sentit animi commotionem, *neq; diversorum spirituum agitationes:* quod signum est non bonum: sicut quando quis, adhibitâ medicinâ, nullam sentit in corpore mutationem. Et hoc oritur persæpè ex neglectis temporibus, & Additionibus Meditationum, de quo propterea examinandus est is, qui exercetur, ut ibi traditur. Sed de hac tranquillitate non agitur in tertio tempore Electionis. Nam reverâ non est illa tranquillitas; sed infirmitas potiùs, & torpor quidã, qui non bene præparat animum ad Electionem. De

De tribus aliis modis non agitur in Annot. 6. inter 20. ut patet. Nam continent commotiones animi, quas Annotatio ponit abesse.

Porrò tertium modum S. P. N. vult abesse à tertio tempore Electionis. Est enim tempestas quædam, & conflictus, contrarius tranquillitati, qui non sinit animam *liberè* exercere *vires suas*.

Sed neq; secundo modo agitari debere Electurum, constat ex Reg. 5. inter priores de discern. Spirit. ubi dicitur, *quòd tempore desolationis nihil deliberandum* sit. Quod etiam tunc non sit trãquillitas animi, patet ex Reg. 4. ibid. At verò primus modus adeò non impedit, ut juvet multùm Electionem in quovis tempore. Ibi enim non est agitatio variorum spirituum; sed motio unius, qui tranquillitatem affert, ut constat ex Reg. 3. ibidem. hoc unum est cavendum, ne dum consolatio est ferventior, decernamus aliquid incautiùs, ut monet Annot. 14. inter 20: quamquam hoc magis ad secundum tempus spectat. Ideoq; consultum est semper adjungere examen tertij temporis, ut dicebamus hîc lit. D.]

F naturales † suas liberè exercet. Itaque nisi primi vel secundi temporis beneficio electio contingat, superest ad tertium recursus, duobus modis sequentibus distinctum.

F † ☞ Quomodò significet S. P. Noster hîc *naturales facultates, seu potentias, non tamẽ ut operantes per solam naturalem virtutem, sed ut adiutas divinâ gratiâ, & cooperantes illi*, vide apud Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. N. 42. & 44.]

Cap. 31. Direct. invenies, quid faciendum sit, si fortè contingat, ut secundo tempore in aliquam rem inclinemur; tertio verò tempore in alteram contrariam vel dissimilem: quomodo scilicet tunc rationes tertij temporis conferri debeant cum motionibus voluntatis secundi temporis.

Modus

Modus prior sanæ bonæq; electionis faciendæ, sex constans punctis. † A

A § Differit de hoc modo Directorium cap. 28.
Antequam progrediamur ad Regulas hasce, aliasque sequentes, ponenda hîc sunt verba Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. cap. 7. N. 1. ubi post enumeratas regulas huius libelli exercitiorum, sic loquitur de B. Ignatio: *nihil itaq; quod in consultationem spiritualem ordinariè venire possit intactum omisit, & in omnibus magnam prudentiam, atq; adeò magnam experientiam, & divini luminis illustrationem ostendit.*

PUnctum primum, erit proferre in medium rem deliberandam, ut de officio, vel beneficio, acceptandumne, an potiùs reijciendum sit; & ita de ceteris rebus, † quæ ad mutabilem electionem spectant. B

B § In primo puncto, iterùm S. P. N. proponens cæteras res, quæ *ad mutabilem electionem spectant*, clarè indicat, sibi non tantùm de statu deligendo; sed de quavis electione sermonem esse. Quapropter totum hoc argumentum, ita debet esse nobis familiare, ut in obviis quibusque rebus facilè ex illo agamus.

SEcundum est, adducto ante oculos creationis meæ fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectēdæ vel repudiandæ rei controversæ: quin potiùs velut in medio quodam interstitio, & æquilibrio subsistere, † parato interim animo, ut in eam illicò partem totus ferar, quam novero divi- C

C § ☞ In Secundo Puncto illud est animadverten-

næ gloriæ, & ſaluti meæ fore apriorem.

tendum. Quamvis S. P. N. hactenùs, eum qui exercitatur perduxerit ad tertium uſque Humilitatis gradum; nunc tamen videtur eumdem quaſi iterùm retrò agere, & revocare ad ſimplicem illam animi æquabilitatem, quam in *Fundamento* didicerat. Nimirùm ab illo animi æquilibrio hic deliberandi modus initium ſumat, neceſſe eſt, ut tertius Humilitatis gradus partes ſuas meliùs agat.

In Meditationibus de Regno CHRISTI, de duobus Vexillis, de tribus hominum claſſibus, & in conſideratione trium graduum Humilitatis, invitamur ad nobiliſſimum electionis genus: nequaquam tamen in illis electio facienda præſcribitur. Ità verò invitamur, ſi Electionis tempore ſenſerimus id eſſe ad majus, vel ad æquale obſequium Dei. *Si, inquam, ſanctiſſimæ* ſuæ *Maieſtati, placeat ad tale* nos *vitæ inſtitutum eligere atq; recipere*: ſervando in Meditationibus & Colloquiis illis, *deſiderii noſtri libertatem, quâ liceat convenientiorem ſervitio divino viam invadere.*

Quando autem jam adeſt eligendi tempus: primùm mens noſtra *adducto ante oculos creationis - - - fine*, in medio cõſtituenda eſt. Quod ſi poſt diligentem diſcuſſionem par utrimq; appareat ad finem illum conſequendum commoditas; tunc enimvèrò incertus animi hærebit is, qui ſapientiâ tertii Humilitatis gradûs eſt deſtitutus: & fortaſſis fucata ac vana divitiarum, aut dignitatum ſpecies, eum ad ſe alliciet. At is, qui lumine illo verè divino tertii Humilitatis gradûs eſt inſtructus, ſtatim amplectetur illam partem, quâ CHRISTO optimo ſuo Imperatori cognoſcit ſe fore ſimiliorem. Satis enim illi eſt, ut totus eò feratur, ſi nihil ibi inveniat, quod vocationi Dei, & fini conſequendo adverſatur.

Vidit etiam S. P. N. hunc eligendi modùm pertinere ad tertium tempus, in quo intellectus præcedit, & volũtas ſequitur: ut notat Directorium Cap. 27. *§. 1.* Ut verò intellectus liberè ſuas exerceat vires, tantiſper ſilendum erat de tertio gradu Humilitatis, qui ad voluntatis officium præcipuè ſpectat. Eſt enim eximius amor optimi & ſapientiſſimi Imperatoris IESU Chriſti, atq; inflammatus ardor illum,

 quàm

quàm proximè, sequendi. Ubi verò intellectus munere suo functus fuerit; tum demum juxta quintum Punctum, *sepo-sito carnis appetitu omni* voluntas *electionem* concludet & ,ut dicitur in secundo Puncto, *in eam illicò partem* tota feretur, *quam* noverit *divinæ gloriæ*, *& saluti* suæ *fore aptiorem*. Eam autem aptiorem haud dubiè iudicabit, quæ cum tertio Humilitatis gradu congruit; sive (sepositâ nimirùm imitatione Christi, & spectato solo creationis fine) maius in illâ, sive par ad finem suum consequendum insit momentum. Minimè igitur in hoc eligendi modo excluditur præparatio illa animi, quæ propria est tertii gradûs Humilitatis; sed totus denique in eam resolvitur.]

TErtium, obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatẽ, quocumque potiùs mihi tendendum sit, adhibito nihilo secius, pio fideliq́ue intellectûs mei ratiocinio: per quod apprehensâ, & probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar.

QVartum, perpendere † quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent D

D § Monet Directorium, ut scripto notentur rationes, pro utrâque parte seorsùm. Quod tunc faciendum videtur maximè, quando est deliberatio momenti gravioris. Nam Directorium manet ferè in exemplo deliberationis de statu vitæ.

ex tali officio vel beneficio suscepto: † quot rursum ex eodem incommoda & pericula impendent. Præterea, quot per oppositum, omisso illo, tam cõmoda E

E § Sic de alijs rebus plurimis, etiam ab ijs qui statum habent, deliberatio institui potest, sicut monuimus ad cõtemplat. de

de Regno Christi, & de 2. vexillis. Et, ut breviter dicamus de hominibus societatis; multa S. P. N. in Constitutionibus, superiorũ multa, subditorum deliberationi relinquit. Inspiciatur tantũmodo Cap. 2. & 3. partis 7. Provincialibus quoq; in Reg. 16 suadetur, ut utantur hoc priore, & posteriore modo Eligendi, in rebus, quæ cum Consultoribus cõmunicari non possunt. In ipsis Consultationibus & Congregationibus toties sententiæ dicendæ sunt, quæ antequam proferantur, ad has regulas examinandæ essent. Quando vel in Regulis, vel in Epistolâ S. P. Nostri de Obedientiâ, permittitur, ut aliquid exponamus superiori, cum hac tamen cautione, ut ante præmittatur oratio, & semper simus animo indifferenti; patet id sine deliberatione peragi non posse. Non opus est, commemorare negotium distributionis bonorum, & innumera alia, quæ sine rectâ electione fieri nequaquam possunt.

F moda & adminicula, † quàm discrimina & damna possim expectare. Quin- | F 5. Dabimus specimen nonnullorum commodorum & adminiculorum, prout illa consideravit S. P. N. Const. p. 7. c. 2.

Ceteris igitur paribus, quod semper intelligi debet, docet eligendam esse partem illam, quæ maiorem habet indigentiam aut necessitatem.

Pars illa, unde speratur uberior fructus, præferenda est alteri.

Quando ad alterutrum obligamur aliquo titulo v. g. gratitudinis, si cetera paria sint, illud eligendum est. Bonum, quò universalius, eò divinius est, & particulari bono anteponendum.

Bona spiritualia præstant corporalibus, & quæ maioris sunt perfectionis, potiora sunt ijs, quæ sunt minoris.

Quæ minùs dilationem patiuntur, ceteris paribus, priùs pertractanda sunt.

Cum aliqua negotia sunt magis propria instituti nostri, quæ ab alijs non ita solent tractari, hæc ceteris paribus, amplectenda sunt.

Inter pia opera, quæ æqualis essent momenti & necessitatis, eligenda sunt ea, quæ securiorem, & faciliorem habent executionem.

Diuturniora, præ minùs duraturis capessenda sunt.

Deniq́ue docet procedendum *præ oculis habendo maius divinum obsequium, & universale bonum, ut regulam, ad quã exigi* omnia *oportet.*

Hæc satis sit delibâsse, ut exemplo S. P. Nostri commoda & adminicula, eorumq́ue contraria, discamus bené trutinare.

QVintum, his præmissis, ratiocinari in utramq; partem, & juxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionem concludere.

SExtum, electione factâ, ad orandum citò prosilire, † & illam offerre DEO G perfectè demum, si ei placeat, recipiendam & stabiliendam.

G § De oratione post electionẽ pulchrè agit Directoriũ cap. 32. ubi ponit tres casus.

Modus

Primus est, cum in illâ oratione sentiuntur motiones Electioni conformes, & vires quasi promittuntur ad exequendum, quod signum est Electionis bonæ.

Secundus est, quando motiones illæ repugnant Electioni; tunc si post examen earum dubitetur an non sint à spiritu malo, nihil in electione mutandum. Si verò claré appareat eas esse à spiritu bono, signum est discursum fuisse malum.

Tertius est, quando in oratione nihil notabile sentitur in utramq; partem; & tunc si voluntas eligentis in suo proposito perseverat, non est, cur Electio in dubium revocetur.

☞ Vide Directorium loco citato, & cap. 33. ubi ostenditur, quid agendum Instructori, cum sentit eum, qui Electionem facit, hallucinari. Unicum tamen ex hoc Capite attingam

tingam, videlicet, experientiâ constare, quòd interdum extra Exercitia, & extra conflictum electionis commodiùs aliqui veritatem agnoscant; idq; ex iisdem principijs, quæ hauserant, in ipsis Exercitijs: cujus rei causas vide ibidem in Directorio.]

Hæc oratio, quæ fit post electionem in hoc priore, atq; etiam in posteriore Electionis modo multum habet secundi temporis: & continet quodammodo illam praxim, quam in Directorio Cap. 27. §. 6. narratur S. P. N. declarâsse similitudine *eius, qui præsentat Principi suo genus aliquod cibi, ut exploret, quàm ei arrideat.* Sic quoque iubemur hîc rem electam præsentare & *offerre Deo*, ut exploremus, an ei placeat, & arrideat.

A Modus posterior † bene eligendi, in Regulas quatuor, & Annotationem unam distributus.

A § Nihil superaddendum videtur ijs, quæ Directoriũ habet de hoc modo Cap. 31. nisi quòd magis accedat ad secundum tempus Electionis, quàm prior. Id innuitur in Annotatione, ubi dicitur, quòd hæ Regulæ servandæ sint, *propter salutem meam & animi quietem.* Hæc videlicet animi quies, genus quoddam est consolationis, per quam nobis oboritur securitas & fiducia quædam subeundi Tribunal justi illius Judicis, vel in privato, vel in communi Judicio; propterea quòd conscii nobis sumus, nihil nos in eligendo spectâsse, nisi rationem rectam, finem ob quem conditi sumus, & CHRISTUM Præceptorem ac Ducem nostrum.

REgula prima, quòd, cùm oporteat per affectũ ex Dei amore cælitùs infusum fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in seipso, quòd quidquid affectionis (sive multum sive mo-

dicum sit) erga rem electam tenet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur.

SEcunda, * est considerare, si quis mihi vir a- * t
micissimus, † cui nihil non perfectionis inesse B
cupiam, occurreret dubius super electione huiusmodi, quidnam ego illi decernendum maximè essem consulturus. Quo animadverso, agendum & mihi ducam, ut suaderem alteri.

B § In correctione ex autographo, describitur *vir antè ignotus, & numquam planè visus, cui tamen nihil non perfectionis inesse cupiam &c.* Nota quòd S. P. N. ideò fortassis ponat virum ignotum, & antè non visum, ne affectus aliquis erga ipsum immisceatur, qui ex solius amore Dei non proficiscatur, quod in amicitiâ humanâ facilè cõtingit. Abesse autem debet talis affectus juxta Reg. *1.*

Denique studiosè perlegendum Directorium, quod per undecim omnino capita, à Cap. 22. usq; ad Cap. 33. inclusivè totam Electionis materiam & praxim, tam pro Instructore, quàm pro Eligente curiosè & plenè exponit: unde lux magna hauriri potest, ad se aliosq; dirigendos.

TErtia, mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observâsse modum in præsenti deliberatione. Iuxta hunc igitur, eligendum nunc esse facilè intelligam.

QVarta, prospicere non minùs, quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem. Quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.

ADnotandum est postremò, quòd hisce Regulis quatuor propter salutem meam, & animi

quie-

quietem accuratè ſeruatis, debeo juxta ultimum punctum modi præcedentis, electionem ipſam definire, & offerre DEO comprobandam.

De emendatione ſeu reformatione circa vitæ ſtatum cuivis faciendâ.

IN primis illud eſt aduertendum, quòd ſi quis vel matrimonio, vel officio dignitatis Eccleſiaſticæ ſit adſtrictus (de temporalium verò bonorum quantitate, magna an parva ſit, non refert) unde ipſi non vacet, aut parùm libeat circa mutabilium rerum electiones verſari; † operæ pretium eſt, earum loco methodum ei tradi, ſeu formulam aliquam, ex quâ vitam ſuam, & ſtatum proprium poſſit emendare. Debet

A § Quamvis hæc formula videatur iis potiſſimùm præſcripta, quibus non vacat Exercitia hæc obire, & meditando, colloquēdoque cum Deo, dies plures tranſigere: eſt tamen eadem quoque perutilis, atq; adeò neceſſaria ijs, qui ſolent quotannis, procul negotiis omnibus, in hoc ſancto otio verſari. Hi enim extra illud tantâ non raró rerum agendarum multitudine implicantur, ut ipſis quoque *non vacet, aut parùm libeat circa mutabilium rerum electiones verſari.* Tunc enim verò hic modus magno uſui eſſe poteſt. Eſt quippè brevis ac facilis, neque conjunctus cum illâ receſſione, perpetuoq; tot Meditationum & Additionum labore. Sed ſatis eſt, ſi per intervalla, quatenùs negotia ſinunt, ex ſupradictis eligendi modis & Exercitiis nonnulla adhibeantur. De quo vide Direct. c. 34. ubi dicitur, quòd omnibus operariis Societatis valdè commendatum eſſe deberet, ut proximos juvare conarentur & dirigere ad hanc formulam, unde valdè inſignis fructus ſequeretur. Pro majori intelligentiâ praxeos huius, inſpice caput jam laudatum Directorii.

Doctrinæ autem illius, quam S. P. N. hîc tradit, summa quædam hæc est: quod debeat, *quisquis eiusmodi conditionẽ sortitus est, ut finem creationis, & vitæ suæ rectè statuat, ac sequatur - - - ruminando sedulò colligere*, quam metam, quemvé modum rebus suis omnibus poneres quâ ratione, eas *tractare, & administrare conveniat: quibus instruere verbis & exemplis* eos, quibuscum quoquo modo agere contigerit; *nihil affectando aliud, nec quærendo, nisi quod honorem Dei, & salutem suam præstet.*

Et verò, quod S. P. Noster ita hanc methodum tradi velit illis, qui *vel Matrimonio, vel officio dignitatis Ecclesiasticæ* sunt adstricti, ut cæteros minimè excluserit, vel ipse titulus docet, qui est *de emendatione - - - CUIVIS faciendâ*. Prætereà non tantùm hîc agitur de usu possessionum (quamquam de illo non parva cura Religiosis etiam non paucis imposita est) sed etiam (sicut jam diximus) præcipitur, ut inquiratur, *quibus instruere verbis & exemplis* alios conveniat; quod illis proprium est, qui proximo juvando se addixerint.

DEbet igitur, quisquis eiusmodi conditionem sortitus est, ut finem creationis, & vitæ suæ rectè statuat ac sequatur, per Exercitia supradicta, & electionum modos attendere, atque ruminando sedulò colligere, quàm amplam domum & familiam æquum sit se habere: quibus eam modis tractare & administrare conveniat: quibus instruere verbis & exemplis: quantum prætereà de possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios, sive domesticos: quid rursum pauperibus erogare, vel impendere pijs operibus deceat, nihil affectando aliud, nec quærendo, nisi quod honorem Dei & salutem suam præstet. Hoc enim unusquisq; † persuasum habeat, tantùm se in studijs spiritua- B

B § Ultima illa hujus loci verba, quæ

ritua-

ritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius & commodi proprij affectione sese abstraxerit.

quæ præcipuâ Christianæ vitæ continent disciplinam, non de solis *Matrimonio, vel officio dignitatis Ecclesiasticæ* adstrictis; sed de omnibus dicta sunt. *Hoc enim UNUSQUISQUE persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore suiipsius, & commodi proprii affectione sese abstraxerit.* O! sententiam dignã, quæ in omnibus Ascetarum libris conspiciatur aureis literis exarata; sed potissimùm animis Religiosis altissimè sit impressa!

TERTIA HEBDOMADA. †

A.

I. CON-

A. § In Meditatione de Regno CHRISTI, vidimus Regẽ nostrum ad bellum nos invitantem, audivimus quasi classicum canentem: deinde in Meditatione de duobus Vexillis, vidimus tam Ducem impiorum, quàm optimum Imperatorem nostrum, explicatis Vexillis in acie constitutos: in hac Hebdomadâ ipse conflictus & signorum collatio exhibetur.

Hîc enimverò conspicimus, quibus in *laboribus, vigiliis, & casibus* persistat Rex noster. Hîc *carnis, sensuum, amorisq́, proprii & mundani* rebellionem videmus expugnari: hîc *maiora & præclariora* illa *munera*, quæ *in ferendis iniuriis & adversis omnibus* sita sunt, quomodò à fortissimo Duce nostro sustineantur, oculis ipsis intuemur. Hîc denique cernimus ipsum, tamquam exemplum absolutissimum tertiæ hominum classis, paupertatem & opprobria non tantùm desiderantem, sed reipsâ amplectentem. Quæ omnia in sequentibus mysteriis, animo identidem versanda sunt, & tertius Humilitatis gradus semper præ oculis habendus; eiq́ue iuncta Colloquia numquam intermittenda.

 Idcir-

Idcircò enim S. P. N. post primam huius Hebdomadæ Contemplationem, memoriam nobis refricat illorum Colloquiorum, *ficut*, inquit, *traditum est in Contemplatione secundæ Hebdomadæ, de tribus classibus, cum sequente illic Annotatione*. Remittit nos videlicet ad Contemplationem de tribus classibus; non tantùm ut iterùm discamus modū instituendi tria Colloquia, is enim in Meditatione de Vexillis, traditur multò accuratiùs: sed potissimùm, ut Annotationem ibi junctam revocaremus in animum, & excitaremur ad Colloquia eiusmodi in hac Hebdomadâ diligentissimè adhibenda, quæ in nobis suscitent spiritum tertij gradûs Humilitatis.

In hac Hebdomadâ unicuique diei iterùm bina assignantur mysteria. Cætera vide in Directorio Cap. 35. & aliquid hîc infrà in 2. Classe Mysteriorum vitæ Christi annotatum de contritione eliciendâ. Sed in Directorio Capite jam dicto, invenies explicatos affectus, qui in meditationibus huius hebdomadæ potissimùm excitari possunt: qui sunt, odium peccati; cognitio bonitatis Dei; spei confirmatio; amor in Deum; inflammatio ad imitationem Christi; zelus animarum; & invenies alia notatu digna.

I. CONTEMPLATIO

*Fit *in mediâ nocte, & continet Orationem præparatoriam, tria Præludia, sex Puncta, cum uno Colloquio.*

ORatio præparatoria eadem, quæ semper.

PRæludium primum, sumitur ex historiâ: Quomodo Christus à Bethaniâ misit Hierosolymam discipulos duos ad parandam cœnam, quò & ipse cum reliquis deinde profectus est: ibique post agni Paschalis esum, & peractam cœnam, pedes

des lavit omnibus; & sacrosanctum corpus ac sanguinem suum largitus est. Postremò sermonē ad eos habuit, post discessum Iudæ, ipsum venditurí.

SEcundum, ex compositione loci, considerando dictum iter asperum aut lene, breve aut longũ, cum ceteris, quæ inesse poterant, circumstantijs. Deinceps conspicando locum cœnæ amplum, vel angustum, vilem vel ornatum, & consimilia.

TErtium, ex optatæ rei petitione, scilicet doloris, indignationis, & confusionis, eò quòd ob peccata mea, summus omnium Dominus tantis se tormentis ita objiciat.

PVnctum primum, erit respicere cœnantes, & aliquid in usum meum adducere.

SEcundum, eosdem audire, quid loquantur, & fructum inde decerpere.

TErtium, attendere, quid agant, & per omnia proficere.

B QVartum, * advertere, † quid iam inde Christus pati appetat, & incipiat, juxta historiam: unde incipiam & ipse dolorem, mœstitiam, & fletum mihi excitare, meque affligam similiter in subsequentibus.

*x

Quin-

B ʃ Quoniam S. P. N. in hac Hebdomadâ, sex Puncta proponit meditanda, dicendum nonnihil est de tribus ultimis, sicut diximus in secunda Hebdomadâ de tribus primis. Nec præterea aliud desiderari videtur, ut quis hæc, & cætera CHRISTI patientis mysteria, cum insigni fructu, & animi gustu percurrat.

Et

Et satis quidem patet tria postrema Puncta non esse ejusmodi, quin in prioribus quodammodò involvantur. Voluit tamen S. P. N. illa ab his distinguere, ut præcipuo quodam studio novis hisce Punctis incumbamus, quippè quæ in hisce mysterijs, ad tertium Humilitatis gradum, & ad propositum finem, vim quamdam habent prorsùs eximiam. Sic, quamvis Meditatio nulla expers omninò sit cuiusdam sensuum applicationis, voluit tamen nos in unâ sensuum applicatione quasi totos nonnumquam esse. Solet enim altiùs animo inhærere res illa, in quam, proprio quodam conatu, mentis acies intenditur.

In quarto igitur Puncto, juverit illa quæ CHRISTUS patitur, reducere ad quatuor illa Capita, de quibus jam indè à fundamento est actum. Videlicet, ad *ægritudinem*, doloresque corporis & animi; ad *paupertatem*, quæ spoliat rebus omnibus, etiam amicis; ad *contemptum*, & opprobria, quibus CHRISTUS saturatus fuit; ad *vitam brevem*, & mortem, mortem autem Crucis. Si hæc *iuxta historiam*, vel *iuxta Punctum* considerentur, magna in tot mysterijs occurret rerum varietas & multitudo.

Ad imitationem verò Christi in quatuor illis rebus ducit nos S. P. N. per Constitutiones suas. Et de contemptu quidem, & opprobrijs, habemus pulcherrimam Regulam 11. Summarij. De paupertate habemus Regulam 23. 24. & 25. ubi jubemur illam conservare, ut murum firmū Religionis; & diligere, ut matrem. De ægritudine habemus Regulam ejusdē Summarij 50. ubi dicitur, quòd *non minus donum est, quàm sanitas*. De brevitate vitæ, sive de morte adscribam verba, quæ animos dare nobis possint, quæ S. P. Noster nobis reliquit exarata Constit. par. 6. Cap. 4. *Ut in vitâ*, inquit, *universâ, ita & multò magis, in morte unusquisq; de societate eniti, & curare debet, ut in ipso DEUS ac Dominus noster IESUS Christus glorificetur, ipsiusq; beneplacitum impleatur, & proximi ædificentur, saltèm exemplo patientiæ ac fortitudinis, cum fide vivâ, ac spe, & amore bonorum illorum æternorum, quæ nobis Christus Dominus noster tam incomparabilibus vitâ suæ temporalis laboribus, & morte promeruit, & acquisivit - - - - Omnibus Sacramentis Sanctis acceptis, tamquam armis à divinâ liberalitate*

Christi Domini nostri nobis concessis, ad transitum à temporali vitâ, ad æternam se muniat.

Quintum punctum spectat ad illud Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, &c.* Potuit perdere adversarios suos, quod in mysteriis plerisque ex signis variis & minimè obscuris intelligitur; & tamen non perdidit. Magna lux ex hoc Puncto oborietur mēti nostræ, ut *etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret* --- Eligamus *potiùs cum CHRISTO paupere, spreto & illuso; pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, &c.* Nam reverà CHRISTUS liberè illa elegit, *quia ipse voluit*: semper præ oculis habens finem, propter quem missus erat; & liberè in illis ad finem usque duravit: cujus rei in singulis mysteriis nova semper exempla nobis exhibentur: quæ, quoties eligendum est, in memoriam revocari possunt.

Sextum Punctum, est summa quædam Colloquii positi in 1. Exercitio, 1. Hebdomadæ; nisi quod isthic inquiratur, quid agere debeamus pro CHRISTO; hîc etiam quid pati ejus causâ debeamus. Prætereà isthic imaginor CHRISTUM *corā me adesse in Cruce fixum*; hîc verò ipsum intueor, qualem mysterium præsens exhibet, undè fit, ut alia atque alia semper species, novumque agendi & patiendi genus semper animo repræsentetur.

Nequaquam tamen Punctum hoc in numero Colloquiorū ponēdum est. Possum enim de re quâpiam multa meditari, & multas volūtatis motiones excitare, imò & ad personā certam dirigere, sic tamen ut cum illâ nullus sermo, nullum colloquiū instituatur: sed postquam in amorē personæ illius totus exarsi, tum demum impellor, ut illam alloquar eo modo, quem describit S. P. N. in illo jam laudato 1. Exercitio 1. Hebdomadæ: *Ut fiat sicut amici sermo ad amicum, &c.* quamquam sicut applicatio sensuum Meditationi; sic Puncto cuipiam aliquid colloquij misceri potest

Deniquè S. P. N. vult, ut in tribus hisce postremis Punctis, incipiamus, *dolorem, mæstitiam, & fletum --- excitare*, & quidem *maximo conatu*; ut scilicet CHRISTO Regi nostro compatiamur, non tantùm interiore animi sensu, sed vel maximè imitando, & ipsius vestigia premendo; juxtà illud Rom. 8. *Si tamen compatimur, &c.*

Specimen quoddam horum Punctorum exstat in fine huius Opusculi; ubi integra Meditatio huius Hebdomadæ in partes suas est distributa.

QVintum, meditari quo se pacto abscondens Christi Divinitas, adversarios suos, cùm valeat, non perdat, sed pœnas adeò crudeles pati sinat Humanitatem.

SExtum cogitare, cùm talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam aut pati eius causâ.

COlloquium ad Christum fiet, terminandum cum *Pater noster*.

IN colloquijs est notandum (ut suprà ex parte jam exposuimus) quod agere convenit, & aliquid petere, juxta præsentis rei rationem, videlicet, prout sentio in me consolationem, vel perturbationem: prout Virtutem unam, vel alteram expeto: prout in hanc, vel illam partem de me statuere intendo: prout etiam de re, quam contemplor, tristari volo, vel lætari. Denique postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maximè desidero: † & unum dumtaxat colloquium poterit confici ad Christum Dominum; vel triplex, si devotio instiget, nempe ad Matrem, Filium, & Patrem, sicut traditum est in contemplatione secundæ hebdomadæ, de tribus classibus: cum sequente illic annotatione.

C ſ Ex hoc *Notando* patet, quòd in Colloquiis, sit locus proprius petitioni, & postulationi: id quod S. *P.* N. variis in Meditationibus suprà docuerat: nominatim in Exerc. 3. Hebd. 1. & in Medit. de 2. vexillis, ubi diligenter descri-

II. CON-

describsit gratiam à Deo petendam in istis colloquiis. Parùm enim proderit mysteria vitæ Christi sedulò contemplari, si non obtineamus gratiam *congruam* ad tertium humilitatis gradum reipsâ exercendum. Apostoli, miracula & mysteria Christi, non tantùm mente contemplati fuerant, sed etiam oculis suis inspexerant, quando dicebant cum Petro: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matt. 26. & tamen paulò post negavit eum Petrus, alii relicto eo fugerunt. Ex quo patet quantoperè nobis opus sit gratiâ Spiritûs Sancti. Audiamus in hanc rem S. F. Xaverium, lib. 2. Epist. 3. Societati Romam sic scribētem: *Equidem omnem in Deo spem locatam habeo, cupioq; quantùm in me erit Christo Domino obtēperare admonenti: „ qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. „ Quæ quidem sententia cogitanti facilis est, experienti non item: ubi enim tempus incidit, cum vita amittenda est, ut eam in Deo invenias; cum mortis periculum intenditur, sic ut facilè prospicias, si Deo pareas, vitam esse dimittendam; tum verò nescio quo modo fit, ut quod antè præceptum dilucidum videbatur, incredibili involvatur obscuritate. Nam ne doctissimi quidem viri, tam præclaræ sententiæ vim consequuntur; sed ii duntaxat, quos singulari beneficio Deus ipse interior Magister instituit. Atq; in eiusmodi rebus facilè apparet, quanta tandem nostra sit imbecillitas, quàm fragilis & infirma humanæ naturæ conditio. &c.* Quod S. F. Xaverius dicit de vitâ pro Deo perdendâ, idem de aliis casibus, ac vel maximè cùm de honoris iacturâ agitur, dicendum est. Quocirca nunc hæc, nunc illa dona; nunc hos, nunc illos fructus Spiritûs S. in Colloquiis ferventer implorare oportet; Divinamq; Clementiam obsecrare, atq; obtestari, ut id temporis; gratiâ S. *Illuminationis*, tenebras, quæ tunc oriri solent, dispellere; & S. *Affectionis* gratiâ, voluntatis nostræ imbecillitatem dignetur corroborare.

II. CONTEMPLATIO

In aurorâ, de rebus à Christo post cœnam, & in horto gestis.

Oratio præparatoria consueta semper.

PRæludium primum, est juxta historiam. Quo modo IEsus Christus unà cum undecim suis Apostolis, descendit ex monte Sion, ubi fuerant cœnati, & transiens per vallem Iosaphat, † relictis ibi ex illis A octo, alijs verò tribus in horti parte, seorsum ipse digrediens, oravit, ad sudorê usque sanguineum, iteratâ jam ter eâdem ad Patrem suum oratione. Posteà excitis discipulis à somno, prostratis ad solam vocem cum Iudâ per osculum prodente, adversarijs; restitutâ deinceps, quam amputaverat Petrus, Malchi auriculâ; comprehensus tandem est, quasi nefarius aut latro quispiam, & per vallem illam ad Annæ domum primò tractus.

A § ☞ Potest de hoc loco videri Suarez Tom. 4. de Rel. Tract. 10. lib. 9. Cap. 5. n. 19. 20. & 21. ubi conciliat hunc locum cũ Evangelistis, asserens ex Bedâ de locis Sanctis Cap. 6. inter montem Sion, & montem Oliveti, esse vallem angustam, per quam fluit Cedron, quæ Iosaphat nominatur, in quâ est sepulchrũ B. Virginis, ubi ædificata est Ecclesia, quæ *S. Maria Iosaphat* vocatur.

Totum verò illum locum, in quem Dominus exivit vocari villam, seu potiùs prædium habens ruralem domum, quæ Gethsemani dicebatur: & intra illud prædium fuisse hortum, ut graves Authores notant. Totus autem ille locus erat ad radicem montis Oliveti, unde necesse est, ut vel

Secun- totus

totus, vel magna pars ejus fuerit in valle Iosaphat. Et ex Burchardo refert, locum illum Gethsemani esse in latere montis Oliveti adhærentem cuidam rupi concavæ de monte pendenti, sub quâ Discipuli sederant, cum dixit illis Dominus: *sedete hîc*, &c. vide plura ibi.]

SEcundum est, pro construendo loco, viam intueri declivem, planam, & arduam; item hortum certâ magnitudine, figurâ, & habitudine depingendum.

TErtium, pro voti consecutione, poscere mœrorem, planctum, anxietatem, & ceteras id genus pœnas interiores, ut Christo patienti pro me compatiar.

A *Notanda simul hæc quatuor.* †

A ƒ Quatuor hæ Annotationes non minùs accuratè servari, quàm attentè legi debent.

De mysterijs verò singulis nonnihil dicturi sumus suo loco.

PRimum, quòd post præparatoriam orationem, cum tribus præludiis secundi huius Exercitij, eodem modo, & ordine procedendum est per puncta, & per colloquium, ut in præcedente de cœnâ peractum est. Adijciendæ quoque erunt circa Missæ & vesperarum tempus duæ repetitiones super unâ, & alterâ dictâ contemplatione. Ante cœnam verò, applicabuntur quinque sensus, præmissâ ubique oratione præparatoriâ, cum tribus præludijs, oblatæ materiæ congruentibus, quemadmodum in hebdomadâ secundâ satis descriptum est.

 Secun-

SEcundum, quòd habitâ ætatis, complexionis corporalis, ac dispositionis totius ratione, vel quinque, vel pauciora Exercitia, diebus singulis implebuntur.

TErtium, quòd in hac tertiâ hebdomadâ, mutandæ sunt ex parte, Additio secunda & sexta: siquidem (quod ad secundam spectat) ubi fuero experrectus præcogitans, quò tendam, & instantem contemplationem paululùm delibans, interim dum surgo & accingor, adnitar simul ad tristitiam, & dolorem, de tot, ac tantis Christi pœnis, meipsum acriter incitare. † B Quoad sextam verò, suffugiam potiùs, quàm quæram, aut admittam jucundas cogitationes, licet alioqui utiles & sanctas, ut sunt de resurrectione Christi & gloriâ. Pro quibus in meditandâ eius passione, angores ac pœnas hauriam, ex frequenti eorum recordatione, quæ ab horâ suæ nativitatis, ad exitum usque vitæ huius, ipse perpessus est.

B § Congrua cogitatio in hac hebdomadâ etiam tria complectitur. 1. ut præcogitem, quò tendam 2. ut instantem meditationem paululùm delibem: quod fieri potest vel breviter recolendo puncta; vel Historiam, ut in primo præludio fit menti obijciendo,. 3. ut ad dolorem me incitem; sicuti quis incitaretur, qui proximè ad casum, aut supplicium funestum amici sui spectandum, se sciret iturum.

QVartum, quòd examen particulare, circa tam Exercitiorum, quàm Additionum functioné, fiet ad eumdem modum, ut in hebdomadâ præcedente.

IN ſecundâ autem die, contemplatio alia ſuccedet, noctu tranſigenda, de geſtis in domo Annæ, ut narratur infrà in myſterijs vitæ Chriſti. Sub auroram verò de ſecutis rebus in domo Caiphæ. Deinde repetitiones & uſus ſenſuum, velut priùs.

IN tertiâ die, contemplabimur per noctem mediam, quomodo ductus eſt ad Pilatum Chriſtus, & quid ibi actum, ut dicetur infrà. Diluculo verò, de ijs quæ geſta ſunt, tranſmiſſo Chriſto ad Herodem. Subdetur repetitionum & ſenſuum conſuetus uſus.

DIe quartâ, meditatio nocturna percurret hiſtoriam de reditu ab Herode, uſque ad mediam partem myſteriorum, quæ apud Pilatum ſecuta ſunt: reliquam verò partem circa lucem primam proſequemur. De repetitionibus quoque, & ſenſibus, pro conſuetudine ſit agendum.

DIe quintâ ſub noctis medium, de progreſſu ipſo paſſionis contemplabimur, à ſententiâ Pilati uſque ad crucifixionem. Sub auroram deinceps, ab elevatione crucis, ad Chriſti uſque expirationem. Repetitiones & ſenſuum exercitatio, ut ſuprà.

DIe ſextâ noctu, quomodo mortuus Dominus, ſublatus de cruce, & ad monumentum delatus eſt. Primo manè, ex quo ſepultus fuit, donec B. Virgo in domum aliquam ſe recepit.

DIe ſeptimâ, inter noctu & manè paſſionem totam revoluemus, Poſteà repetitionum, & ſenſu-

sensuum vice, per diem totum considerabimus, quàm licebit frequentissimè, quo pacto sanctissimum IESU Christi corpus remanserit ab animâ sejunctum: & ubinam, aut quomodò sepultum, item quæ fuerit B. MARIæ Matris solitudo, desolatio qualis, & quanta afflictio. Quàm acerbus quoque discipulorum mœror extiterit.

SVbnotandum est, quòd si cui libeat, meditandæ Christi passioni diutiùs instare, contemplationes singulas debet absolvere cum paucioribus mysterijs, ita ut prima solùm comprehendat cœnam: Secunda, lotionem pedum: Tertia, Eucharistiæ sanctæ institutionem: Quarta, sermonem ibi subsecutum: & sic in ceteris agendum.

AD hæc, traiectâ totâ passione, licebit proximo post die iterare eius dimidium, atque reliquum postridie: perendie rursus totam simul. A

E contrario verò, si quis malit tempus succidere, contempletur de cœna Domini per noctem: de horto, in aurorâ: de Annæ domo, circa Missam: sub vesperas, de domo Caiphæ: de prætorio Pilati, ante cœnam: & ita pergendo, per dies singulos diversa Exercitia quinque implebuntur, utpote repetitionum, ac sensuum usu prætermisso. † Transcursâ verò passione, operæ pretium fuerit, eâdem simul totam, die unico revoluere, sive in unum tantùm Exercitium congestam, sive distributam in plura, prout sibi C

C § In his omnibus semper spectãdum, quid conducibilius sit ei, qui exercetur, sicut S. P. N. sæpiùs monet. Traduntur enim in Exercitijs diei septimæ

bi fore conducibilius ille censuerit.

mæ, & in hac subnotatione, varij modi, mutandi materiam & formam, meditationum: in, quo singularis discretio & prudentia S. P. Nostri, sicut multis alijs locis, conspicitur. Hanc prudentiam pulchrè demonstrat Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Locis sæpiùs à nobis citatis, nominatim Cap. 6.

REGVLÆ ALIQVOT
Ad victum rectè temperandum. †

A. §. Suprà, ubi egimus de partibus libelli Exercitiorum, monuimus ex Directorio, regulas hasce tradi etiam posse ante tertiam hebdomadam. Porrò hæ Regulæ in pretio habendæ sunt; & quidem nominatim quarta, septima, & octava. Nam in aliis rebus pluribus usum magnum habere possunt.

De his Regulis vide Directorium Cap. 35. §. 12. & 13. Unum addo. Ex contemplatione de Regno Christi, patet, nos non posse benè sequi Christum, nisi expugnatâ, non tãtùm carnis, amorisq; proprii, & mundani; sed etiam *Sensuum* rebellione. Capitale verò peccatum, quod situm est in sensu gustûs, sive gulæ, valdè repugnat & rebelle est legi mentis nostræ, quâ volumus sequi Christum: Idcircò Christus hostem illum fœdum non minùs, quàm perniciosum, qui per primos parentes tantam cladem humano generi intulit, voluit initio prædicationis suæ in deserto, per tam longum & acre jeiunium, subiugare; ut discamus, nos veros Christi imitatores esse non posse, si eius exemplo hostem hunc capitalem non debellemus. Ad debellandũ autem valent hæ Regulæ plurimùm: præsertim si adiungatur per intervalla usus pœnitentiæ in victu, iuxta Additionem 10. hebdomadæ I.

PRima est, quòd à pane minùs abstinendum sit, quàm à reliquis alimentis: cùm neque gulam

adeò irritet, nec tentationi æquè obnoxios nos reddat.

SEcunda, quòd circa potum attendenda sit magis abstinentia, † quam circa panem; cautè observando, quæ prosit mensura potûs, ut sumatur semper: quæ rursum noceat, ut tollatur. B

B ſ Annotabo breviter nonnihil ex Sacris literis. Ecli. 31. v. 22. *Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.* ibidem v. 24. *Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet usq; mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* ibidem v. 36. *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum.* Et v. 37. *sanitas est animæ & corpori sobrius potus.* Ad Ephes. 5. v. 18. *nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu Sancto.*

TErtia, quòd circa pulmenta & edulia potissimùm abstinentiæ ratio versetur, cùm per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, maior subministretur occasio. Temperanda sunt igitur, vitandi excessus causâ: quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur atq; assuescimus, vel dum parcè delicatis utimur.

QVarta est, quòd quantò plus † de convenienti victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversæ gravi periculo) tantò celeriùs mensuram cibi ac potûs iustam reperiet: tū quia, hoc modo meliùs se disponens, & obnixiùs tendens ad perfectionem, sentiet interdum C

C ſ Hoc in pluribus rebus locum habere potest. Sic S. P. N. infrà regulâ 7. de Eleëmosynis, dicit quòd *optimum & securissimum*

simum est, unicuiq; distributionis curam subeunti, ut suæ subtrahat commoditati, quantum potest. Vide Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 7. n. 2. ubi hanc doctrinam conciliat cum quodam loco Gersonis, quo agit de scrupulosis, cujusmodi hominibus non convenit hæc regula. Quare cum discretione procedendũ, ut mox dicemus lit. F.

dum quosdam cognitionis internæ radios, & consolatorios motus † sibi cælitùs immissos, ex quibus facilè poterit rationem victûs commodiorem di-

D

D § Duas rationes adfert S. P. N. ob quas, quò plus subtrahitur, eò celeriùs mensura justa reperitur, quarum hæc ratio prima spectat ad secundum tempus eligendi, in quo cognoscimus *beneplacitum Divinum docente id aliquo consolationum, vel diversorum spirituum prævio experimento.*

☞ De his consolatorjis motibus agit Suarez, sicut notavimus suprà in secundo tempore Electionis lit. C. defenditq; eiusmodi modos loquendi, contra nonnullos obtrectatores.]

scernere: tum quoniam † si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quàm ut Exercitia ipsa spiritualia peragere.

E

E § Ratio secunda spectat ad tertium tempus, & ad punctum 4. prioris modi eligendi; juxta quod debemus perpendere, *tam commoda & adminicula; quàm discrimina & damna,* quæ ex utrâque parte negotij, de quo deliberatur, oriri possunt. Incommoda autem illa & pericula facilè cognoscuntur, quando re ipsà sentire incipimus, Exercitia Spiritualia, aliaque bona opera, præ imbecillitate, similemvé ob causam impeditum iri. Hinc est, quod plerique sancti, sub melioris vitæ initia, in primo illo Spiritûs fervore, soliti sint amori proprio, & mundano, carnique ac sensibus subtrahere, quàm poterant, plurima: atque ita proprio usu edocti, & cælesti lumine

adiuti, facilè assecuti sunt mensuram justam in rebus ad vocationis suæ statum pertinentibus: id quod in historiâ vitæ S. P. Nostri videre etiam licet: & notatu digna sunt verba ipsius Exam. Cap. 4. §. 26. Unde Reg. Sum. 25. est desumpta, quæ præscribit, ut quisque sibi persuadeat *sui victûs, potûs, vestitûs, & lecti rationem - - - fore, ut pauperibus accommodatam; quòdq; quæ vilissima erunt, ex ijs quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem, & spiritualem profectum.* Quæ verba hactenus in regulam translata sunt: sed valde, inquam, notatu digna sunt, verba hæc quæ sequuntur in Examine, ubi additur hæc altera causa: *& ut ad quamdam æqualitatem, & veluti mensuram ab omnibus perveniatur* : quibus iterum docemur, facilè ad mensuram perveniri, si antè vilissima dentur, & paupertas exerceatur.

Hæc tamen verba ex loco illo Examinis, in Regulam translata non sunt, quia mēsuræ & æqualitatis, quæ omnibus conveniat, judicium ad Superiores spectat. Quid verò prætereà quisque privatim sibi possit subtrahere, & quæ mensura ipsi propriè conveniat, per hasce regulas de victu, indagari ab unoquoq; potest, communicando juxta aliam Regulam omnia Superiori aut Confessario, ne discretionis limites transiliantur. In Summario autem Constitutionum positæ sunt eæ regulæ, quæ, ut titulus notat, *ab omnibus observandæ sunt.* Ad omnes verò spectat altera ratio, quæ in Regulam translata est, ex eodem loco examinis, ob quam sibi quisq; debeat persuadere, quòd vilissima tribuentur; videlicet, *propter ipsius maiorem abnegationem, & spiritualem profectum.*

F §. Ex his verbis patet, quòd etiam sub initium Exercitiorum, vel quovis tēpore ante tertiam hebdomadam hæ regulæ tradi possint. Sed monet benè Directorium suprà §. 12. *quòd non omnibus eodem modo proponēdæ sunt, sed adhibitâ discretione pro cuiusq; complexione, & [...] tam corporis, quàm animi.*

agere † commodè valeat, sic facilè advertet, quam mensuram victûs naturæ necessitas requirat. Quin.

QVinta, quòd expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus IESUM Christum Dominum nostrum vescentem cum suis discipulis, observando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo. Usuveniet enim, ut occupato magis intellectu circa meditationem talem, quàm circa corporalem cibum, discamus faciliùs victum moderari.

SExta, quòd, gratiâ varietatis, aliæ adhiberi possunt meditationes inter vescendum, ut sunt de Sanctorum vitâ, de piâ quapiam doctrinâ, vel de aliquo spirituali negotio agendo: unde sic abstractâ mente, cibus ipse & vescendi delectatio parum sentiatur.

SEptima, quòd cavendum sit præcipuè, ne super sumendos cibos, animus quodammodò totus effundatur, & ne avidè vescamur, aut festinè: sed appetitui semper dominantes, G † tum mensuram victûs, tum sumendi modum unà temperemus.

G ∫ Hoc sanè in omni sensuum usu curandum est, ut eorum rebellione expugnatâ ad sequendum Christum simus promptiores.

OCtava est, quòd plurimùm conducit ad tollendam cibi potûsque immoderantiam, si ante prādium aut cœnam, & quacumque H horâ nulla esuries sentitur, † præviâ

H ∫ Quia dum esuries sentitur, nō adest illa tranquillitas animi, neq; illud æquilibrium, quod ad benè deliberandum

dum, & eligendum requiritur. Esuries enim facilè turbat illam animi æqualitatem inclinando, & trahendo magis ad indulgendum sensui, quàm rationi & virtuti.

I § Deliberatio fit ad eligendum. En igitur iterum, quomodò post susceptum statum, in rebus spectantibus ad gustum, aliosq; sensus, & in regendo appetitu amoris proprij, & mundani multa inveniantur, quæ deliberatione & electione indigeant.

prævia deliberatione, † victum proximè sumendum, definiamus ad mensuram certam, quam deinde nullâ vel propriâ aviditate, vel instigatione inimici, umquã excedamus; sed potiùs vincendæ utriusque causâ, de illâ nonnihil etiam subducamus.

QVARTA HEBDOMADA. †

A § In hac Hebdomadâ id sedulò agendum, ut magis magisque confirmemur in tertio gradu Humilitatis. Quapropter colloquia, quæ post Meditationes de duobus Vexillis, & in tertio gradu Humilitatis tantoperè nobis commendata sunt, nunc quoque frequenter institui debent. Sunt illa tamen in Hebdomadâ hac affecta & quasi condîta jucundiori argumento. Nam ad eadem impensiùs postulanda, excitat nos hic potissimùm oculis obiecta victoriæ & felicitatis, & præmii iucundissima species.

Habet tamen hæc Hebdomada id prætereà sibi proprium, undè nomen viæ unitivæ accepit, quod suavissimos amoris sensus gignat, & charitatis dulcissimo vinculo, cum DEO, qui est finis, ob quem conditi sumus, nos conjungat, simulque cælestis illius patriæ inflammata excitet desideria. Neque id mirùm: nam per tertium gradum Humilitatis, qui per colloquia illa numquam satis laudata

CON- ma-

maiores ſemper vires acquirit, removetur procul ab animo omne id, quod charitatem Dei retardare aut impedire poſſit; ut ſuâ quaſi ſpontè illa facillimè ſuccedat.

Vide Cap. 36. Directorii.

CONTEMPLATIO I.

Quomodò IESVS Dominus, poſt reſurrectionem apparuit Sanctæ Matri ſuæ, ut habetur infrà in myſteriis vitæ Chriſti.

Oratio præparatoria iuxta morem.

PRæludium primū accipitur ab Hiſtoriâ. Quomodò poſtquàm expirauit Dominus in cruce, *y ſepulto * corpore, ſed Divinitate ſemper ſociato, ipſe in animâ, Divinitati quoque continuè unitâ, deſcendit ad inferos: ereptiſque inde iuſtorum animabus, rediens ad ſepulchrum, corpus cum animâ denuò univit, ac reſurgens, demum apparuit Beatæ Virgini Matri ſuæ vivus, ut piè ac veriſimiliter credendum eſt.

SEcundum, pro conſtructione loci, ſpeculandum accipiet ſepulchri ſitum, & Beatæ Virginis domicilium, cuius formam, partes, & reliquam diſpoſitionem, ut cellulam, & oratorium ſigillatim perſcrutabimur.

TErtium, continebit gratiam petendam, ut ſcilicet immenſum Chriſti, ac Matris gaudium participemus.

Pun-

PVnctum primum, secundum, ac tertium, eadē hic erunt, quæ suprà in contemplatione cœnæ fuerunt exposita, id est considerare personas, verba, opera.

QVartum verò, erit † animadvertere, * quomodò Christi Divinitas, passionis, & mortis tempore abscondita, palàm se faciat in resurrectione, ac tot miraculis deinceps elucescat. B *2

Quin-

B *S* Dicendum hîc iterùm aliquid de 4. & 5. Puncto, quæ in hac Hebdomadâ tribus ordinariis adduntur.

In utroq; igitur postremo Puncto, illud ex Contemplatione de *R*egno CHRISTI in memoriam revocandum est, quòd *particeps fiat victoriæ & felicitatis unusquisq;, prout laborum ac molestiarum socius extiterit.*

Et in quarto quidem Puncto contemplamur illam victoriam ac felicitatem, cuius participes erimus post mortem. Idcircò enim S. P. N. disertè loquitur de Divinitate, quæ se palàm facit *in resurrectione*; deque miraculis, quibus *deinceps* elucescit; post mortem scilicet. Et gloria quidem eò fuit tunc illustrior, quò Divina natura antè fuerat magis abscondita, & laboribus molestiisque quasi oppressa. *Labori enim præmium respondebit*, in nobis æquè, atque in CHRISTO.

Subeant hîc denuò animum quatuor illa Capita, quæ S. P. N. in Fundamento sapientissimè recensuit. Nam illis respondent pulcherrimè quatuor corporis beati dotes. Brevitati siquidem vitæ, corporis item animique morbis ac molestiis, succedit corpus immortale, quod neque vincula, neque vulnera, neque dolores pati potest; summâ enim agilitate, & subtilitate penetrat, quidquid obstare aut lædere potest. Paupertas verò & contemptus, quæ duæ res virtutem bonorum obscuram reddunt, commutantur post mortem in clarissimam lucem ac gloriam.

Ad hæc quatuor Capita reduci possunt octo Beatitudines, quas Christus tradit Matth. 5. quas hîc invenies suprà post Con-

Contemp. 2. de Nativitate, in 2. Hebdom, ubi egimus de punctis Meditationum.

Porrò si hæc in singulis hujus Hebdomadæ mysteriis consideremus, magna sese ubiq; offeret, & miraculorum & triumphorum varietas: & jucundum erit singula cum singulis CHRISTI laboribus, quos toleravit, componere: atque adeò novis semper stimulis urgebimur ad sectanda quàm proximè ejus vestigia.

C QUintum, æstimare † quàm prompto copiosoq; functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibitâ consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari potest, similitudine.

C § In quinto puncto illud mente sedulò est volvendum; eum qui *laborum ac molestiarum CHRISTI socius exstiterit*, non modò post mortem fore participem illius felicitatis sempiternæ, sed etiam in hoc mortali corpore ejusmodi solatia à Christo percipere, quæ omnibus mundi gaudiis longissimè antecellant. Sic CHRISTUS redivivus *suos*; *nos*, inquam, prout quisque *laborum ac molestiarum socius* exstiterat, in unoquoq; mysterio, novo ferè & congruo recreat genere cõsolationis: id quod optimè intelligetur *adhibitâ consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari potest, similitudine.* Pulcherrima igitur & maximè varia in hoc puncto datur iterum meditandi materia, per mysteria singula; neq; plura videntur dicenda, ut animo benè comparato quis pergat ad eadem contemplanda.

COlloquio uno, vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio, cum *Pater noster*.

D NOtandum porrò, † quòd in sequentibus contemplationibus, seu Exercitijs recensenda erunt per ordinem

D § Quatuor Annotationes hæ, perutiles sunt, seduloque lectitandæ.

dinem, myſteria omnia Reſurrectionis, Aſcenſioniſque, & quæ ſunt intermedia, ſervatis ubique ijſdem formulis, & modis: ſicuti per totam illam hebdomadam factum eſt, in quâ paſſionis myſteria contemplati ſumus, & iuxta modum ac exemplum primæ huius de Reſurrectione Domini, meditationis, formandæ ſunt ſequentes omnes, atque regulandæ, tam in præludijs (niſi quòd hæc rebus ſunt accommodanda) quàm in punctis quinque, & additionibus ſingulis. Pari etiam ratione circa repetitiones, & ſenſuum operationes, nec non in augendo, minuendoúe exercitiorum, ſecundùm myſteria numero, dirigi poterimus, ſicut in prædictâ meditandæ Chriſti paſſionis hebdomadâ fuimus edocti.

SEcundò notandum eſt, convenire magis quartæ huic hebdomadæ, quàm præcedentibus, ut quatuor duntaxat fiant Exercitia, Primùm, poſtquàm manè ſurreximus. Secundum, circa Miſſæ tempus, vel paulò ante prandium prioris repetitionis loco. Tertium, horâ veſperarum, pro ſecunda repetitione. Quartum, ante cœnam, admotis ſenſuum officijs, ad imprimendas fortiùs animæ contemplationes tres eo die factas, ſignatis obiter, & penitiùs tractatis partibus, ſeu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, maiorēque guſtum ſpiritualem ſenſerimus.

TErtiò, quòd quamuis ei, qui exercitatur, certus præſcribatur numerus punctorum, putà ternarius

narius, aut quinarius; liberum tamen ipſi erit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodiùs ſe habere expertus fuerit. Quâ in re magnoperè iuvabit, ante ingreſſum Exercitij, tractanda puncta comminiſci, & numero certo præfinire.

QVartò denique notandum eſt, quòd per quartam hanc hebdomadam, variari debent ſecunda, ſexta, ſeptima, & decima Additiones. In ſecundâ quidem, ut dum evigilo, repentè mihi ponam ob oculos ſtatutam contemplationem, & de gaudio Domini cũ ſuis, ſtudeã & ipſe exhilareſcere.

E † In ſextâ verò, ut memoriæ meæ obijciam ea, quæ lætitiam ſpiritualem cient, ut cogitatio de gloriâ. In ſeptimâ, ut lucis & cæli utar commoditate, quæ ſeſe offeret, putà per tempus vernũ, herbarum virentium, & florum aſpectu, aut aprici loci amœnitate: per hyemem verò ſolis, vel ignis opportuno calore: & ita de cæteris corporis atque animi oblectationibus cõgruis, per quas Creatori & Redemptori meo, congaudere queam. In decimâ, ut loco pœnitentiæ, temperantiâ & mediocritate victûs contentus ſim, niſi quo tempore ieiunium, vel abſtinentiam Eccleſia indixit, cujus præceptis ſemper obtemperandũ eſt, niſi iuſtum adſit impedimentum.

E § In hac quartâ ſeptimanâ, cogitatio matutina continet duas partes. 1. ut mihi proponam ſtatutam meditationem. 2. ut ſtudeam exhilareſcere; ſicut aliquis, qui evigilans cogitat ſe properaturum ad lætiſſimum ſpectaculum.

CONTEMPLATIO.

Ad amorem spiritualem in nobis excitandum. †

A § De hac agit Directorium Cap. 36. §. 2. & 3. ubi notat duplicem modum utendi hac contemplatione. Primò enim, iisdem diebus, quibus meditamur de Mysterijs Resurrectionis, potest una aut altera meditatio esse de hac contẽplatione. Secundò, finitis Mysteriis Resurrectionis, potest unus, aut plures dies impendi huic contemplationi: & hic secundus modus videtur conformior ordini & menti S. P. Nostri, qui in secundo Notando hujus hebdomadæ, præscribit seriem Meditationum, cum repetitionibus, & applicatione sensuum; quæ series, per hunc secundum modum, nullatenus alteratur;.

S. P. N. hac Contemplatione ad amorem spiritualem in nobis excitandum, complectitur ferè omnia, quæ vel in viâ purgativâ, vel in illuminativâ, vel in unitivâ hactenùs tradita sunt. Ideoque ponitur loco postremo. Sic oratores in Peroratione solent congerere totius Orationis quasi summam quamdam.

IN primis duo notanda sunt. Primum, quòd amor ipse ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Secundum, quòd consistit amor in mutuâ facultatum, rerum, & operum communicatione, putà scientiæ, divitiarum, honoris, & boni cuiuscumque.

Oratio præmittitur ex more.

PRæludium primum est, ut coram Domino, Angelis, Sanctisque omnibus, mihi propitijs, stare me videam.

Secun-

SEcundum,ut gratiam Dei efflagitem,per quam beneficiorum eius, in me collatorum magnitudinem perſpiciens, ad amorem, cultum, & ſervitium ipſius, totum me impendam.

B PVnctum primum ſit, † revocare in memoriam beneficia creationis, ac redemptionis: dona itidem particularia, ſeu privata enumerare & cum intimo affectu perpendere, quantum meâ causâ benigniſſimus Dominus egerit, atq; pertulerit; quãtum mihi elargitus ſit de theſauris ſuis, quodq; juxta divinum ſuum decretum, & beneplacitũ, ſeipſum mihi, quantũ poteſt, donare velit. Quibus optimè inſpectis, vertar ad meipſum, & diſquiram mecum, quæ meæ ſint partes, & quid æquum iuſtumque ſit, ut divinæ offeram, & exhibeam maieſtati: haud ſanè dubium, quin mea omnia offerre debeam,ac meipſum cum ſummo affectu, & verbis huiuſcemodi, uel ſimilibus.

Suſci-

B ſ In primo Puncto, quatuor enumerantur genera beneficiorum. Primum eſt, *quantum meâ causâ benigniſſimus Dominus egerit*. Secundum, *atquè pertulerit*. Atque hæc duo genera ſpectant ad primam Annotationẽ in limine huius Contẽplationis poſitam: *Quod amor ipſe ab operibus magis, quàm à verbis pendet*.

Tertium beneficii genus eſt, *quantum mihi elargitus ſit de theſauris ſuis*. Quartum, *quodq; - - - ſeipſum mihi, quantum poteſt, donare velit*. Et hæc duo poſtrema genera ad alteram pertinent Annotationem, *quod conſiſtit amor, in mutuâ facultatum, rerum, & operum communicatione*.

Primum

Primum genus beneficii, tum in Fundamento, tum in secundâ Septimanâ cognoscitur. Secundum verò genus, in primâ, & clarissimè in tertiâ septimanâ perspicitur. Tertium autem, & quartum beneficii genus, in Fundamento quidem, & alibi, sed potissimùm in quartâ Septimanâ demonstratur.

SVscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsùs voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratiâ tua, mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.

SEcundum erit, † speculari Deum, in singulis existentem creaturis suis: & elementis quidem dantem, ut sint; plantis verò, ut per vegetationem quoque vivant: animalibus insuper, ut sentiant: hominibus postremò, ut simul etiam intelligant. Inter quos accepi & ipse universa hæc beneficia, esse, vivere, sentire, ac intelligere, meq; templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsũ, agam ut in primo puncto, vel meliùs si quid occurrerit: id quod in punctis etiam sequentibus, erit factitandum.

C ſ Quæ beneficiorum genera ex quatuor jam commemoratis, in singulis Punctis potissimùm consideranda sint (nam quatuor hæc beneficiorum genera, in variis huius Contēplationis Punctis, variè tractantur) unusquisq; facili negotio statuet. In quarto tamen Puncto sapientia & pulchritudo Divina, non modò quatenùs rebus creatis se

Terti-

ſe communicat, ſed etiam prout ipſa in ſe, & non relata ad nos, omni amore digniſſima eſt, conſiderari, & acie mentis, aſpici poteſt.

Porrò in Punctis omnibus, poſtquàm ad amandum viciſſim DEUM excitati fuerimus, æquum eſt, ut pro unoquoque beneficij genere, paria amoris ſigna, & grati animi dona referamus. Nam id quod in primo Puncto offertur per verba illa: *ſuſcipe Domine, &c.* tertio beneficij generi præcipuè reſpondet. Reliquit igitur S. P. N. nobis cætera genera, per quæ illam mutui amoris teſtificationem amplificare poſſimus. Ideóque in ſecundo Puncto diſertè ſic loquitur: *Agam ut in primo Puncto; vel meliùs, ſi quid occurrerit, id quod in Punctis etiam ſequentibus erit factitandum.*

TErtium eſt, conſiderare eumdem Deum ac Dominum, propter me in creaturis ſuis operantẽ,
D & laborantem quodãmodò, † * quatenus dat ipſis:
* conſervatque id quod ſunt, ha-
aa bent, poſſunt, atq; agunt. Quæ omnia, ut ſuprà, in mei conſiderationẽ reflectenda erunt.

D § In correctione ex autographo, adduntur hæc: *ut in Cœlis, elementis, plantis, frugibus, & animantibus: quatenus dat. &c.*

Ad extremum addo: nulla excogitari poſſe ſigna certiora, ſinceri & mutui in DEUM amoris, nulla beneficijs acceptis munera gratiora rependi poſſe, quàm quæ inveniuntur in tertio gradu humilitatis. Quapropter in eo hîc etiam animus noſter ſe firmet, neceſſe eſt.

QVartum, proſpicere quo pacto munera & bona omnia cælitùs deſcendunt, ut ſunt potentia, juſtitia, bonitas, ſcientia, & alia quælibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumſcripta: quæ ab infinito illo totius boni theſauro,

 ſicut

ſicut lumen à ſole, & ex fonte aqua, derivantur. Addenda ſupereſt reflexio prædicta in mei circumſpectionem.

COlloquium etiam in fine fiet, terminandum cum *Pater noſter.*

MODI TRES ORANDI. †

A § De his modis legenda ea, quæ habentur in Directorio Cap. 37. ubi notatur, quòd prima hebdomada, cum his tribus orandi modis pluribus, etiam rudioribus tradi poſſit. Idem annotat Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 7. N. 14. & diſtinguit paucos, plures & rudiores, quibus poſſint dari Exercitia, utens in hanc rem Conſt. par. 7. C. 4. §. 8. cum lit. F. de quo loco S. P. Noſtri plura dicemus mox lit. B.

PRimus orandi modus, † deducendus eſt ex mandatis, ex peccatis ſeptem mortalibus, ex tribus animæ potentijs, & ex quinq; ſenſibus conſideratis: unde non tam habet orationis formam, quàm Exercitij cuiuſdam ſpiritualis, per quod & anima iuvatur, & oratio Deo redditur acceptior. Priùs itaque quàm hoc orem modo, iuxta illud, quod

B § ☞ Hic modus in Directorio ibidem §. 7. narratur fuiſſe in uſu S. F. Xaverio; ita ut etiam pœnitentiæ loco injungere ſoleret, ut manè & veſpere aliquod tempus huic impenderent. At verò S. P. Noſter Conſt. par. 7. Cap. 4. §. 8. lit. F ſic loquitur: *Primæ hebdomadæ Exercitia ad multos, & aliqua conſcientiæ examina, & modi orandi (PRÆSERTIM PRIMUS TRIUM ILLORUM, QUI IN EXERCITIIS PROPONUNTUR) ad multò plures etiam extendi poſſent. Quivis enim bonâ præditus*

tua voluntate ad hæc idoneus erit. Ex quo textu discimus, modum hunc primum orandi faciliorem esse, quàm secundum. Habet primus, plus examinationis; secundus, plus meditationis. Tertius, simplicior est, minus habens vel examinationis, vel meditationis, atq; ad mentis attentionem iuvandam perappositus. Primum igitur modum, iis etiam dare convenit, qui ad Exercitia siue meditationes primæ hebdomadæ idonei non videntur, sicut diximus ad Annot. 18. inter 20. Nam respicere & examinare seipsum quivis potest: estq; hoc exercitium ad sui cognitionem, & animi purgationem utilissimum. Vide Explan. ad Annot. 18. inter 20.]

quod tertiæ Additioni æquipollet, † sedebo vel deambulabo paulisper (prout ad animæ quieté facere videro) pensitans apud me, quò mihi accedendum sit, & quid faciendum. Hoc idé Additionis genus ad omnem orandi modum præmitti debet.

C

Oratio

C S ☞ Cùm S. P. N. Notando 5. hebd. 2. dicat, *quòd in omnibus aliarũ horarum (prætérquam noctis media, & auroræ) Exercitiis, assumendum erit aliquid, quod secundæ & tertiæ additioni æquivaleat;* cumq; tam diserte pro his modis orandi aliquid æquivalens tertiæ additioni præscribat; videri posset mens ipsius fuisse, ut non adhiberentur hi tres modi orandi, mediâ nocte, vel in aurorâ; sed alio tempore: præsertim quando vacatur exercitijs spiritualibus. Imò Directorium Cap. 37. §. 11. notat, quòd sufficiat ferè in Exercitijs discere modum hunc triplicem orandi, quo deinde in posterum uti sciamus: quãvis addat, posse etiam nonnũquam adhiberi hos orandi modos in Exercitijs, veluti cùm quis esset fatigatus, ut habetur §. 13.

Nuspiam tamen vetatur, ne mediâ nocte, aut in aurorâ usurpetur aliquis ex his tribus orandi modis: neque est, cur tunc omittatur tertia additio, aut etiam secunda. Fortasse tamen S. P. N. in hisce tribus modis orandi simpliciorem

ciorem, & paucioribus additionibus, nec ullis præludiis instructam methodum tradidit, ut ijs, qui ne primæ quidem hebdomadæ meditationum capaces sunt, facilior ad usum accidat.]

ORatio præparatoria, gratiæ contineat postulationem, ut mihi detur, agnoscere, quidquid deliquero aduersùs decalogi præcepta, meque in posterum emendare, intellectis illis exactiùs, & (ut par est) ad Dei gloriam & salutem meam solito cautiùs observatis.

PRimò ergo, mandatum quodlibet ordine discutiam, † attendens, quo pacto seruaverim illud, D aut violaverim, deque succurrentibus in memoriam delictis, veniam precabor, recitando semel *Pater noster*. Porrò in excutiendis singulis præceptis, satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter posset oratio Dominica percurri. Notandum tamen, quòd circa præceptum, cuius prævaricatio rarior nobis accideret, minùs immorandum esset; at eò ampliùs, quò lapsus fuerit ex assuetudine frequentior, idque similiter circa mortalia peccata sit præstandum.

D ✝ In Directorio ibidem invenies modum discutiendi, veluti 1. quàm iusta sint. 2. quàm utilia. 3. quomodò servata. 4. proponēdo observātiā, & petēdo gratiam per Colloquium, quæ ibi pluribus explicātur. Sed addit, modum hunc esse pro capacioribus.

COmpleto de præceptis singulis discursu, post mei accusationem, & gratiæ implorationem, ut ea vigilantiùs deinceps custodiam, colloquium dirigam ad DEVM, juxta rei occasionem.

Secun-

E SEcundò, similem orationis modum prosequemur circa mortalia peccata, † post Additionē, & præparatoriam Orationem, sicut fecimus in præceptis. Nihil enim utrobique varium occurrit, nisi quod ad materiam attinet, cùm præcepta quidem servanda sint, peccata verò devitanda. Cetera eadem sunt, fietque itidem colloquium. Scien.

E S. Visum est, peccata septem capitalia (quæ hîc mortalia vocantur, quia vel ipsa ex genere suo mortalia sunt, vel per accidens non rarò mortalia fiunt) ob oculos ponere; singula, cum suis, ut vocant, filiabus. Poterunt sic quoque singula interdum esse materia integri Exercitij.

SVPERBIA, est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. FILIÆ, 1. præsumptio, quâ aggredimur res supra vires. 2. ambitio, quâ inordinate appetimus dignitates, & honores. 3. Est vana gloria, quâ inordinatè manifestamus propriam excellentiam, sive veram, sive fictam.

AVARITIA, est inordinatus appetitus temporalium. FILIÆ, 1. obduratio cordis, sive defectus misericordiæ erga egenos, & durities erga debitores. 2. inquietudo cordis, cum inani timore, ne perdantur, vel non acquirantur divitiæ. 3. violentia. 4. fallacia, sive dolus in verbis. 5. fraus, sive dolus in facto. 6. proditio sive deceptio contra fidem datam, vel debitam, cum alterius damno.

LUXURIA. Est appetitus inordinatus venereorum. FILIÆ in INTELLECTU. 1. Cœcitas mentis, quæ de Cælestibus non cogitat. 2. præcipitatio, quæ agit sine consilio. 3. inconsideratio, quâ aguntur ea, quæ dedecent. 4. inconstautia, quæ voluptatis causâ à propositis bonis deficit. IN VOLVNTATE. 5. amor sui, qui seipsum statuit finem suarum actionum, non Deum. 6. odium Dei. Nam lascivus à Deo abhorret. 7. affectus præsentis sæculi. 8. horror futuri sæculi.

INVIDIA. Est tristitia de alterius bono, prout est diminutivum propriæ excellentiæ, FILIÆ. 1. odium erga

alterum. 2. detractio. 3. gaudium in malis proximi. 4 susurratio, quæ est oblocutio mala de proximo, ad tollendam eius amicitiam cum aliis.

GVLA. Est inordinatus appetitus cibi & potûs. FILIÆ. in ANIMA. 1. Hebetudo mentis, ut v. g. non possit orare. &c. 2. inepta lætitia, quæ excitat ad cantiones, & actus turpes. 3. multiloquium. 4. scurrilitas in verbis & gestibus. IN CORPORE. 5. immunditia, 6. vomitus. 7. seminis effusio.

IRA. Est inordinatus appetitus vindictæ, vel ex parte modi nimis exardescendo: vel ex parte obiecti injustam vindictam appetendo. FILIÆ. in CORDE. 1. indignatio, quando quis inordinatè reputat se tractari indignè. 2. tumor mentis, quâ morosè excogitatur vindicta. IN ORE. 3. clamor. 4. blasphemia. 5. contumelia. 6. maledictio. IN OPERE. 7. rixæ. 8. pugnæ. 9. seditiones. 10. vulnera.

ACEDIA sive animi tædium est duplex. 1. generatim est remissio animi in exercitio virtutum, eò quòd labor sit adjunctus. 2. particulariter, est tristitia de Divinâ amicitiâ, eò quòd per labores servari debeat. FILIÆ. 1. malitia, quâ quis bona spiritualia, aut Dei beneficia, v. g. natum esse, odit, & optat non esse. 2. pusillanimitas, & desperatio. 3. Rancor, quo spiritualia suadentes sunt fastidio. 4. torpor, quando bona non fiunt cum fervore. 5. evagatio mentis.

Vide de his plura apud Busenbaum, aliosque.

SCiendum est, peccatorum vitiorumque notitiam juvari per contrariorum actuum & habituum considerationem. Quapropter per gratiam divinam, & piam quamlibet exercitationem laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret, † mortalibus peccatis septem oppositas.

Ter-

F ʃ Virtutes oppositæ sunt hæ: 1. humilitas. 2. largitas. 3. castitas. 4. benignitas. 5. temperantia. 6. modestia. 7. devotio, seu sedula pietas.]

TErtio, circa tres animæ potentias idem ſequitur progreſſus, per Additionem, Orationem & diſcuſſionem ſingularum, cum Colloquio ad finem, faciendus.

QVartò circa quinque ſenſus corporis, nullâ re mutatâ præter materiam. Ubi ſubnotandum eſt, quòd ſi quis optet in ſenſuum ſuorum uſu, Chriſtum imitari, debet in oratione præparatoria ſeipum ſuper hoc Deo commendare, factæq; ſenſuum ſingulorum examinationi, Dominicam orationem ſubijcere: ſi verò ſimilem affectet, B. Virginis MARIÆ imitationem, ei ſe commendet, tamquàm à Filio id impetraturæ, & Salutationem Angelicam, dum ſenſus excutit, idemtidem reci-
G tet. †

G § Notandum quòd S. P. N. Annot. 18. inter 10. præceptis Dei, atq; Eccleſiæ, mortalibus item peccatis cum quinque ſenſibus, jungat opera miſericordiæ. Quamquam Directorium Cap. 37. §. 5. etiam hæc opera ſatis complectitur voce illâ: *& ſimilibus*: imò plura meditanda ibi enumerat.

Opera miſericordiæ invenies hic ſuprà poſt Contempl. 2. de Nativitate, in 2. hebd.

Secundus orandi modus ex vocum orationis ſingularum perpenſâ ſignificatione.

F ADditio eadem, quæ ſuperiùs, it prævia.

ORatio præparatoria perſonæ congruet, ad quã dirigitur.

SEcundus orandi modus est, ut flexis genibus, vel sedendo (pro habitudine corporis, & animi devotione) oculis vel clausis, vel defixis in partem unam, neque huc & illuc motis, precationem Dominicam à principio recitemus, & in primâ voce, † quæ est, *Pater*, meditationis figamus pedem, quamdiu circa eam variæ nobis significationes, similitudines, spirituales gustus, & aliæ commotiones devotæ incident: & ita deinceps per singula eiusdem, vel alterius orationis verba, factitabimus. H

H § Directorium notat interdum plures voces debere conjungi, quando singulæ non faciunt sensum.

Regulæ tres circa hæc servandæ.

PRima, ut in tali precationis cuiuslibet ruminatione, horæ spatium insumamus, quo expleto *Ave Maria*, *Credo*, *Anima Christi*, & *Salve Regina*, semel juxta communem morem, vel mente solâ, vel etiam voce percurrantur.

SEcunda est, quòd si orantibus hoc modo nobis, in unâ voce, vel duabus, meditatio affluat, & interna simul delectatio; postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota prætereat, † quâ elapsâ, reliquum orationis cursim recitetur. I

Tertia

I § Hinc videtur colligi, quod S. P. N. in Exercitio horum trium orandi modorum voluerit impendi integram horam. Sed hoc intelligendum est de capacioribus. Nam de rudioribus & illiteratis, quibus primus orandi modus est magis

magis accommodatus, & de iis, qui ad ulteriorem virtutis gradum dispositi non sunt, dixit clarè Annot. 18. inter 20. quòd iis conveniat modus orandi *manè per horæ dimidium*, primus scilicet, *ex præceptorum Dei, & peccatorum mortalium consideratione*. Dubitabit tamen fortè aliquis, an in ipsâ Exercitatione, media tantummodò hora orationis manè præscribenda sit; an suadendum potiùs, ut post Exercitationem ita fiat; sicut ibidem suadetur, ut octavo quoq; die confiteantur, & saltem quindecim dierum intervallo sumant Eucharistiæ Sacramentum.

TErtia, ut quando ita contigerit, meditandæ voci uni, aut pauculis, horam impendisse, postridie recitato breviter eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergamus.

POst excussam verò ad hunc modum Dominicam precationem totam, succedet Salutatio Angelica: deinde alia oratio, ut sine interruptione hæc orandi exercitatio procedat.

Ad hæc, oratione qualibet sic completâ, personam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus, virtutem aliquam, aut gratiam petentes, quâ maximè indigere nos senserimus.

Tertius orandi modus, per quamdam vocum & temporum commensurationem.

ADditio ab utrâque superiore nihil differt.

ORatio præparatoria, fiet sicut in secundo modo.

Ter-

TErtius hic orandi modus in eo consistit, ut inter singulas respirandi vices, † singula Dominicæ, alteriusue orationis verba transmittamus, expēsâ interim, vel significatione prolatæ vocis, vel personæ, ad quam oratio spectat, dignitate, vel meâ ipsius vilitate, vel utriusque postremò differentiâ. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendæ quoque orationes suprà memoratæ, *Ave*, *Credo*, &c.

K ✠ Hic modus utilis est ijs, qui obligantur ad orationes vocales, sicut tradit Directorium, quod adi.

EXPLA-

Regulæ duæ huc spectantes.

PRior, ut, finitâ iuxta hunc orandi modum precatione Dominicâ, sumatur alijs diebus vel horis, Angelica Salutatio, simili respirationum interuallo tractanda, cum alijs orationibus, usitato more recitandis.

POsterior, ut, qui hunc orandi modum exercere cupit diutiùs, ad eum applicet precationes omnes supradictas, aut earum partes, & paria anhelituum, ac vocum interstitia observet.

VITÆ

EXPLANATIO
DE MATERIA
ALIQVOT MEDITATIONVM
PRIMÆ HEBDOMADÆ.

Tria genera Meditationum noto posita à S. P. Nostro, in primâ hebdomadâ.

Primum genus est, cùm memoria, intellectus & voluntas exercentur ad singula puncta, sicut fit in primo Exercitio.

Secundum est, cùm quædam puncta memoriæ, quædam intellectui, quædam voluntati potissimùm tribuuntur; ut videre est in Exercitio secundo.

Tertium est, quædam applicatio sensuum, cujus specimen habemus in Exercitio quinto.

MATERIA
PRIMI GENERIS
MEDITATIONUM.
De pœnis peccatorum, in statu legis naturæ.

PRimò. Postquam Cain interfecit fratrem suum Abel, dixit Dominus ad eum Gen. 4. *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Nunc igitur maledictus eris super terram, - - - - cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: Vagus & profugus eris super terram.*

Secundò. Gen. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, per diluvium Gen. 7. *delevit omnem*

mnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus - - - - remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arcâ.

Tertiò. Propter peccata Sodomæorum & Gomorrhæorum, Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo: & subvertit civitates has, & omnem circà regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.*

De pœnis peccatorum in statu legis scriptæ.

Pœnæ transgressorum primæ Tabulæ.

Primò. Multas pœnas dedit populus ille, quia non servierunt Deo soli. Exod. 32. propter vitulum, confractæ tabulæ testimonij, *cecideruntque in die illâ, quasi viginti tria millia hominum.* breviter Psal. 105. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile - - - -* & Deus *dixit, ut disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Deinde vers. 36. *servierunt sculptilibus &c.* versu 40. *& iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.*

Secundò. Levit. 24. *qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.*

Inter scelera quæ commisit Saul à Deo reprobatus, fuit, quod nomen Domini assumpsisset frustrà iurans de Davide 1. Reg. 18. v. 6. *Vivit Dominus, quia non occidetur.* tamen v. 10. conatus est lanceâ eum occidere, & v. 11 *Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficerent manè.*

Tertiò. Num. 15. de homine, qui collegerat ligna die Sabbati, *dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* quod factum est.

Pœnæ transgressorum secundæ Tabulæ.

Transgressores

Quarti, quinti, sexti, & septimi præcepti.

Primò. Levit. 20. *Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur: Patri, Matriq; maledixit, sanguis eius sit super eum.* Huc reduci potest erga Superiores irreverentia, & obtrectatio, ob quam septingenti supra quatuordecim millia incendio absumpti sunt, eò quòd murmurâssent contra Moysen & Aaron. Num. 16.

Secundò. Cùm David 2. Reg. 11. transgressus esset quintum præceptum in Uria, & sextum præceptum cum Bethsabee, dixit Deus per Nathan Prophetam 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tuâ, usq; in sempiternum - - - ecce ego suscitabo super te malum de domo tuâ - - - filius, qui natus est tibi, morte morietur.* hinc secuta est pœnitentia David.

Tertiò. Iosue 7. quia Achan furatus erat pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, & regulam auream quinquaginta siclorum, dixit illi Iosue: *quia turbâsti nos, exturbet te Dominus in die hac: lapidavitq; eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt:* cùm anteà ob illius furtum filii Israël cœsi fugatiq; fuissent.

Transgressores

Octavi, noni, & decimi præcepti.

Primò. Deuter. 19. *Si steterit testis mendax contra hominem - - - cumq; diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant - - - non misereberis eius.* &c.

Secundò. Daniel. 13. duo senes *exarserunt in concupiscenti-*

scentiam Susannæ: mox inde in alia peccata prolapsi sunt, & tandem *suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel - - -* qui dixit eis: *manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, & interficiat vos. Exclamavit itaq; omnis cœtus voce magnâ - - - & interfecerunt eos.*

Tertiò. Cùm 3. Reg. 21. concupisceret Rex Achab vineam Naboth, mox ipse, & uxor ejus Iezabel in gravissima scelera præcipites ruerunt, ad homicidium usq; Naboth. *Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: surge & descende in occursum Achab Regis Israël - - - ecce ad vineam Naboth descendit - - - & loqueris ad eum - - - hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoq; sanguinem tuum - - - sed & de Iezabel locutus est Dominus, dicens: canes comedent Iezabel, in in agro Iezrahel.*

De pœnis peccatorum in lege gratiæ.

Primò. Matth. 3. dixit Ioannes de Christo: *Cuius ventilabrum in manu suâ: & permundabit aream suam : & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Sic dixit Christus Matth. 25. *& ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Causa est. *esurivi enim & non dedistis mihi manducare. &c.*

Secundò. Luc. 16. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* erat autem immisericors in pauperem. *mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno - - - & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.*

Tertiò. Excidium Ierosolymitanum per Romanos, prædictum à Christo Luc. 19. *Ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Causam addit. *eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

Quartò. Petrus Act. 5. cum Ananias & Saphira non tulissent

lissent totum pretium agri venditi, dixit Ananiæ: *non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit.* Ad uxorem verò, quæ similiter deinde mentiebatur, dixit Petrus: *quid utiq; convenit vobis tentare spiritum Domini? ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expiravit.*

MATERIA
SECUNDI GENERIS
MEDITATIONUM.

De vulneribus à peccato inflictis Corpori.

Primò, memoriâ recole innumeram hominum multitudinem vitâ functorum; viventium verò morbos, labores, &c, mente intuere.

Secundò. Considera hæc omnia esse pœnam peccati, sicut Deus prædixerat Gen. 2. *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Mortem præcedunt vulnera, morbi, dolores. &c. dixit item Deus Adæ Gen. 3. *in sudore vultûs tui vesceris pane.*

Tertiò. Ratiocinare, hæc esse pœnam quoq; nostrorum peccatorum actualium. Nam Levit. 26 dicitur: *quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea --- visitabo vos velociter in egestate, & ardore --- frustrà seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.* & Deuter. 28. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui --- maledictus eris. &c. Mittet Dominus super te famem & esuriem --- adiungat tibi Dominus pestilentiam --- percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto;* & plura ibi.

Quartò. Affectus voluntatis.

Colloquium

De

De ignorantiâ,

Quæ est vulnus in intellectu.

PRimò, ſummatim menti obijce res, quarum vel ſtudio, vel aliter adhuc ſcientiam habuiſti.

Secundò, Compara hanc ſcientiam, cum omnium hominum, Angelorum, ac Dei ſcientiâ: & conſidera animam tuam, tamquam in carcere tenebricoſo poſitam, ubi omnia ſunt plena caligine, & cœcitate.

Tertiò. cogitandum, quòd tenebræ illæ ſint aliæ pæna tantùm peccati; aliæ verò ſimul etiam peccatum, & cauſa peccati, quando culpâ noſtrâ non ſuperantur.

Quartò. Miſerrima verò hæc eſt ignorantia, quod innumerabilia noſtra peccata, offenſiones, & negligentias, non ſatis cognoſcamus.

Quintò. Affectus voluntatis;
Colloquium,

De Difficultate, ſive infirmitate,

Quæ eſt vulnus in voluntate.

PRimò. In memoriam revoca, quoties apud animum ſtatueris hæc & illa in viâ ſalutis perficere: quoties bene conſtituta conſilia neglexeris, omiſeris, infregeris.

Secundò. Conſidera, quàm leuis cauſa ſit, ob quam animum toties mutaveris: & intelliges miſeram in voluntate infirmitatem ad agendum, quod rectum eſt.

Tertiò. Perpende infirmitatem hanc, ſive difficultatem oriri ex fomite peccati, ſive concupiſcentiâ relictâ à peccato. S. P. Noſter in Contempl. de Regno Chriſti explicat illam concupiſcentiam, & reducit ad quatuor capita; ſcilicet ad *carnis, ſenſuum, amoriſq; proprij &, mundani* rebellionem.

Quartò. Examina, an & quatenus rebellionem quatuor horum hostium expugnaveris. Nam expugnatam illā vult S. P. Noster in prædictâ contemplatione, ut proximè Christum sequi possimus. Laborandum in hoc per exercitia primæ hebdomadæ.

Quintò. Affectus voluntatis.

Colloquium.

De brevitate vitæ.

PRimò. Recordare annos vitæ exactos, & quàm paucos sperare post illos possis.

Secundò. Vt humano modo vixisse censearis, cogita, quantum detrahendum sit, tempora videlicet infantiæ, somni. &c.

Tertiò. Compara tempus illud vitæ cum æternitate.

Quartò. Conclude, quàm parùm affici debeamus rebus mundanis, quarum brevissimus est usus. Consultum proinde est, ut *à rebus mundanis ac vanis nos recipiamus* juxta Colloquium in tertio Exercitio huius hebdomadæ.

Quintò Affectus voluntatis.

Colloquium.

De peccatis venialibus.

PRimò. In memoriam revoca, multitudinem, & speciem, quatenus licet, peccatorum venialium admissorum.

Secundò. Considera, quàm omnia opera tua, etiam bona, sint infecta istis peccatis.

Tertiò. Perpende mala plurima ex ijs provenientia, quæ longum esset recensere.

Quartò. Affectus voluntatis.

Colloquium.

MATERIA TERTII GENERIS MEDITATIONVM.

De morte.

Applicari possunt sensus ad hominem moribundum, sui etiamnum compotem ; eumque vel malæ, vel bonæ vitæ.

De judicio particulari.

Possunt sensus applicari ad animam in judicio particulari constitutam.

De judicio universali.

Hic applicari possunt sensus ad animam & corpus, ceteraque, quæ in judicio illo fient.

De purgatorio.

Applicentur sensus, sicut in quinto Exercitio huius hebdomadæ, mutatis mutandis.

Alia.

Possunt etiam sensus applicari, vel ad malos Angelos; vel ad particularem hominem damnatum; vel ad animam aliquam in purgatorio, ob determinatum aliquod peccatum, &c.

Ex his, meditationes, & series meditationum poterunt haud difficulter ordinari, seligendo in singulos dies, ex unoquoque genere materiam convenientem. Poterunt etiam aliæ meditationes substitui, vel addi, si placuerit. *hactenus Explanatio.*

VITÆ D. N. IESV CHRISTI MYSTERIA. †

A

Notand.

A § *De Mysterijs & Meditationibus.*

Quæ deinceps ex historiâ vitæ CHRISTI traduntur, non vocantur *Meditationes*, sed *Mysteria*: quæ ideò in Partes, sive Puncta quædam digesta sunt, ut eò *expeditior factu sit contemplatio, quò est distinctior* materia.

Possunt autem singulis Mysteriis, singulæ adaptari Meditationes; vel unum Mysterium dividi in plures Meditationes. Sic S. P. N. Mysterium *De reversione ab Herode ad Pilatum*, dividit in duas Contemplationes die quartâ Hebdomadæ tertiæ. Plura quoq; Mysteria in unicam Meditationem colligi possunt. Sic enim S. P. N. in 2. Contempl. Hebd. 3. *Mysteriis post Cœnam & in Horto gestis*, connectit Mysterium *De comprehensione CHRISTI*. In hanc rem legendum omninò est, quod subnotat S. P. N. in Hebdomadâ 3. proximè ante regulas de victu temperando.

Hoc verò interest Mysteriorum inter, & Meditationum Puncta: quòd illa, sint *materia*; hæc autem, sint *forma* Meditationis, per quam materia perficitur.

Mysteriorum Puncta ad memoriam juvandam ità in ordinem digesta sunt: at Puncta Meditationum propiùs provocant, & juvant intellectum ad ratiocinandum de materiâ objectâ. Idcircò S. P. N. identidem monet, ut in Meditationum Punctis, ad nos ipsos semper oculos reflectamus; ut fructum aliquem ex ipsis referamus; ut nobis ipsis ea applicemus; ut aliquid in usum nostrum adducamus, & plura ejusmodi, quæ sine ratiocinatione fieri non possũt.

Puncta Mysteriorum sunt Historia, in partes distributa, & fideliter narrata, ut loquitur S. P. N. Annot. 2. inter 20. Puncta verò Meditationum, sunt consideratio personarum, verborum, & operum, quæ in historiâ reperiuntur. Sanè

quotquot S. P. N. Meditationes ex Mysteriis in ordinem digessit, non in alia distribuit Puncta, quàm in hanc personarum, verborum, & operum contemplationem: & Annot. 1. post Contempl. 1. Hebd. 4. dicit, quòd *iuxtà modum ac exemplum* à se positæ *Meditationis, formandæ sunt sequentes omnes, atq; regulandæ, tam in Præludiis -- quàm in Punctis.* Ibidem tamen Annot. 3. *liberum* vult esse *in plura vel pauciora Puncta redigere Contemplationem,* de quo vide Direct. Cap. 19. §. 7. Et verò ipse S. P. Noster Meditationes Hebd. 3. & 4. in plura puncta redegit.

Nuspiam tamen vetatur, quòd *in quibusdam Meditationibus* fieri posse docet Directorium Cap. 19. §. 5. ut scilicet priùs in unâ Mysterii parte, personas, verba, & opera perpendam, ac deindè idem faciam in aliis partibus: quia omnes *personas totius Mysterii, deinde omnia verba, ac demùm opera separatim meditari --- in quibusdam Meditationibus pareret confusionem.* Attamen fatendum videtur, quando id fieret, si spectemus exempla nobis à S. P. Nostro relicta, singulas illas Mysterii partes habituras speciem Meditationis integræ. Quamobrem, dum illa confusio timetur, possunt ex singulis illius Mysterii partibus, singulæ formari Meditationes. Sic enim omnis rerum perturbatio etiam vitabitur.

Iam nobis animus non est, singula Mysteria eorumúe Puncta redigere in formam Meditationis. Nam integræ Meditationis ideam reservamus in finem hujus Opusculi. Nunc *satis erit quasi digito indicare venam, quam deindè sibi quisq; effodiat,* ut loquitur Directorium Cap. 8. §. 1. Neque enim (ut ibidem additur) *oportet ea valdè exaggerare.* Sequemur igitur exemplum S. P. Nostri, qui in Mysterio *De Apostolorum vocatione,* ejusmodi venam digito quasi indicavit, per declaratiunculam sanè perbrevem.

Quia verò hisce Mysteriis verè congruit illud Sap. 7. *Infinitus enim thesaurus est hominibus,* poterit unusquisque novas semper, & plures venas indagare, & sibi aperire: nos enim dabimus perpaucas.

Distribuemus Mysteria omnia in tres Classes. Scilicet in Mysteria Hebdomadæ 2. 3. & 4. Mysteria tamen Hebdomadæ

domadæ 2. subdividemus in ea, quæ spectant ad Mandatorum observationem, & in ea, quæ etiam spectant ad statum perfectiorem. Id enim nos docet S. P. Noster in eâdem Hebdomadâ.

NOtandum est primitus, omnia sequentium mysteriorum verba, quæ includuntur parenthesi, ex ipsis Evangelijs deprompta esse, non item cetera. Ad hæc, in unoquoque mysterio, semper aut ferè, poni puncta tria, ut expeditior sit contemplatio, quò est distinctior.

B †

B S CLASSIS PRIMA.

MYSTERIA SECUNDÆ HEBDOMADÆ.

PARS PRIMA,

Pertinens ad observationem Mandatorum, sive ad primum statum.

In hisce Meditationibus considerare quidem convenit, quomodò CHRISTUS in primo illo & communi statu servârit mandata Dei: tamen præcipuo studio revocanda in memoriam erunt ea, quæ in Fundamento, & in Meditatione de Regno Christi didicimus: & ex his ferè singularum Meditationum fructus petendus.

In *Fundamento* fixum nobis fuit eniti ad finem nostrũ. In *Contemplatione Regni IESU Christi* fixum fuit sequi Christum, unicum Ducem in viâ virtutis, per quam itur ad illum finem. In *Fundamento*, ne quid nos retardet, quò minùs redeamus in viam, à quâ videmus nos aberrâsse, in æquali erga res omnes creatas affectu constitimus.

In *Contemplatione de Regno Christi*, ne deinceps à viâ, ad quam redivimus, aberremus, ad quamcumque Christi vocem intentos peregrinosq; nos exhibuimus; nullum statū, nullam in statu rem eligere volentes, ad quam ipse nos non vocet.

Quamvis verò Mysteria nonnulla, veluti de Incarnatione, de Nativitate, &c. S. P. Noster suo quæque Hebdomadis die in formam Meditationis digesserit, tamen hîc de ijsdem, perindè atque de aliis nonnihil dicemus, ne series interrumpatur.

De Annuntiatâ B. MARIÆ Virgini Christi Incarnatione, † *de quâ* Lucæ 1. A

A § Hoc Mysterium assignat S. P. N. primæ Meditationi 1. diei, 2. Hebdomadæ.

PRimò, quomodò Angelus Gabriel, † Beatam B Virginem salutans, divini Verbi cōceptionem ei nuntiavit (*Ingressus Angelus ad eam dixit*, † C *Aue gratiâ plena*, &c. *Ecce concipies*

B § PERSONÆ. Cœlestis ille Legatus à Deo non mittitur ad Palatia & Principes hujus sæculi, sed ad Virginem, eamq; pauperem & humilem, & vix mundi sectatoribus cognitam. Per Virginitatem, à *carnis*, & *sensuum*; per paupertatem & humilitatem, ab *amoris proprii*, & *mundani rebellione* libera erat. Tales nimirùm ad præclara munera, & ad cooperandum redemptioni & saluti generis humani eligit Deus.

C § VERBA. Per sermonem, quē *Angelus DOMINI nuntiabit MARIÆ*, designantur bonæ cogitationes, quas Angelus bonus inspirat. Per verba verò Virginis, *Ecce Ancilla Domini, &c.* docemur promptè eiusmodi cogitationibus assentiri.

OPERA.

D *pies in utero, † & paries Filium, &c.)*

D ſ OPERA. *Et Verbum Caro factum eſt, &c.* Hinc diſce poſtquam motionem Dei interiorem cognoveris; illique, quâ par eſt, alacritate aſſenſus fueris, eamdem etiam reipsâ exequendam eſſe. Igitur ad hæc tria identidem à Deo petes auxilium, tum aliàs, tum quotidie, dum ad pulſum æris campani, ternas Salutationes Angelicas recitabis. Ad primam videlicet Salutationem, petes, ut bonæ tibi inſpirentur cogitationes. Ad ſecundam, ut iiſdem aſſentiaris. Ad tertiam, ut eaſdem exequaris.

Secundò, confirmat Angelus id quod prædixerat, adducto exemplo de Sancti Ioannis Baptiſtæ conceptione admirandâ (*Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſuâ, &c.*)

Tertiò, reſpondit Angelo Virgo ſancta (*Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*)

De MARIA Eliſabeth cognatam ſuam viſitante, ut habetur Luc. I.

A PRimò, quomodò inviſit MARIA † Eliſabeth,

A ſ OPERA. B. Virgo, vocante CHRISTO, quem iam in utero conceperat, ſtatim & cum feſtinatione inviſit Eliſabeth. Ne etiam *obſurdeſcamus vocante nos* CHRISTO, *ſed ad ſequendum ac obtemperandum prompti ſimus.*

B ac S. Ioannes † in utero exiſtens, ſenſit MARIÆ ſalutationem, & geſtiit (*Vt audivit ſalutationem* MARIÆ *Eliſabeth, exultavit infans in utero eius: & repleta eſt Spiritu ſancto*

B ſ. PERSONÆ. Intuere B. Virginem, & Eliſabetham, & Ioannem repletos omnes

omnes Spiritu Sancto, ut primũ CHRISTO vicini & coniuncti fuêre. Sic replebitur, quisquis proximè CHRISTŨ sequetur, eique per imitationem vicinus fiet. Igitur, ô CHRISTE, sit meũ *hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut --- quàm possim, proximè te sequar, & imiter.*

cto Elisabeth, & exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.)

Secundò, Beata Virgo in hoc canticum præ lætitiâ prorupit (*Magnificat anima mea Dominum,* &c.)

Tertiò (*Mansit autem MARIA cum illâ quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.*)

De Christi Nativitate. † Luc. 2.

A § Hoc Mysterium tractat S. P. N. in Meditatione 2. primi diei, Hebdomadæ 2.

PRimò, Beata MARIA cum Ioseph Sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethleem † (*Ascendit autem, & Ioseph à Galilæâ,* &c. *In Bethleem,* &c. *ut profiteretur cum MARIA desponsatâ sibi vxore prægnante.*) B

B § OPERA. Tanto cum labore B. Virgo, & CHRISTUS voluerunt obedire gẽtilis Principis mandato, jubentis singulos profiteri in suâ civitate; ut discamus obedire mandatis Dei, vel per se, vel per superiores nostros præcipientis.

Secundò (*Peperit filium suum primogenitũ & pãnis eũ involuit,* † C *& re-*

C § PERSONÆ. Cõtemplare victũ, vesti-

veftitum, refq; alias Regis tui recens nati, ut & tu *non alio* utaris *victu, vestitu, rebusq; aliis, quàm* illum *utentem* confpexeris.

D *& reclinavit eum in præfepio.)* †

D ſ VERBA. Aures arrige, & audi CHRISTUM è Præfepio tibi dicentem: *In animo mihi eft, &c. Mea hæc eft iuftiſſima voluntas, &c. Quicumq; igitur comitari me velit, &c.*

Tertiò, eo tempore (*Facta eft cum Angelo multitudo militiæ cæleftis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis* DEO, &c.

De Paſtoribus. Luc. I.

PRimò, Paftoribus revelatur Chrifti nativitas per Angelum (*Evangelizo vobis gaudium magnum,*
A &c. † *Quia natus eft vobis hodie Salvator*, &c.

A ſ VERBA. Angelus ad Paftores: *Natus eft vobis hodie Salvator - - - & hoc vobis fignum; invenietis infantem pannis involutum, &c.* Agnofce hîc infignia tui Regis, quibus & te decet indui.

Secundò, Paftores properant in Bethleem (*Et*
B *venerunt feftinantes:* † *& invenerunt MARIAM, & Ioſeph, & infantem pofitum in præfepio.*) Ter-

B ſ OPERA. Paftores *Venerunt feftinantes &c.* En iterũ minimè furdos, aut fegnes; fed promptos & alacres ad vocationem CHRISTI: ne igitur *obfurdefcamus vocante nos* CHRISTO, *fed - - - prompti fimus.*

Vide & audi etiam illos, *glorificantes & laudantes DEUM, &c.* Nempè ex contemplatione CHRISTI nati, mox incenfi funt defiderio finis, ad quem conditi erant, *ut* fcilicet quifq; *Dominum DEUM fuum laudet.*

Tertiò (*Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes DEVM, &c.*)

De Circumcisione. Luc. 2.

PRimò, circumcisus est † Puer. A

A § OPERA. CHRISTus in Circumcisione nos docuit, quàm perfectè voluerit implere mandata Legis, vel cum tanto dolore, & sanguine.

Secundò (*Vocatum est nomen eius IESVS,* † *quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in vtero conciperetur.*) B

B § VERBA. Unica hîc vox imprimenda altè est animo; nempè dulcissimum nomen IESUS, ex quo disces illum venire, ut te ad salutem, hoc est, ad finem, ob quem effectus es, ducat & reducat in viam. Ex quo ratiocinaberis *neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè* CHRISTI *servitio, se totum offerat, & addicat.*

Tertiò, redditus est Matri suæ Puer, quæ illi compatiebatur de sanguinis visâ effusione.

De tribus Magis Regibus. Matth. 2.

PRimò, tres Magi Reges † ad puerum IESUM adorandum venerunt, stellâ duce, ita attestantes: (*Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*) Secun- A

A § PERSONÆ. Illi, quos CHRISTus per Stellam ad se vocavit, erant ex Gentibus. *Cùm essetis mortui delictis* - - - inquit

inquit Apost. ad Ephes. 2. *gentes in carne --- qui aliquandò eratis longè* à viâ, quæ tendit ad finem, propter quem, conditi estis, *gratiâ --- estis salvati per fidem --- non ex operibus, ut nequis glorietur.* Hinc sanè patet, quantâ cum animi demissione apud DEUM de vocatione nostrâ agere debeamus. Cum magno proindè animi sensu ad CHRISTUM dicere debemus verba hæc: *Tuâ ego, licet* INDIGNISSIMUS, *fretus tamen gratiâ & ope.*

B Secundò (*Procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera † aurum, thus, & myrrham.*)

B ſ OPERA. Magi illi *non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam* obtulerunt, qui sanè in longo itinere graves fuerunt; *verùm etiam maiora & præclariora quædam munera* tulerunt: Aurum scilicet, Thus & Myrrham.

Tu quoque aurum offeres, si amore Regis tui incensus dixeris: *Me tibi penitùs offero, meaq; omnia tuæ subjicio voluntati.*

Thuris verò fragrantiam spirant verba illa: *Attestans coram Divinâ Maiestate tuâ, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusq; Curiæ Cælestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut --- quàm possim, proximè te sequar.* O! attestationem! ô! voces plenas sinceræ devotionis! ô! thymiama suavissimi odoris!

Myrrham deniquè mortificationis continent verba illa: *Et imiter in ferendis iniurijs, & adversis omnibus, cum verâ tum spiritûs, tum etiam rerum paupertate.*

Tertiò (*Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in Regionem suam.*)

De Purificatione B. Virginis, & pueri IESV præsentatione. † Luc. 2. A

A § Proponitur hoc Myſterium in Medit. 1. diei 2. hujus hebdomadæ.

PRimò, detulerunt puerum † in Templum, ut B præſentarent eum DEO, tamquàm primogenitum, offerentes pro eo conſuetum munus (*Par turturũ, aut duos pullos columbarum.*)

B § OPERA. CHRISTUS & Beata Virgo iterùm exhibent ſpecimen inſigne ſervandorum mandatorum Legis.

Secundò, Simeon veniens eàdem horâ in Templum (*Accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit DEUM & dixit: † Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c.*) C

C § VERBA, Ex Simeonis Cantico diſcimus, quòd CHRISTUS ſit Rex noſter, verè divinitùs electus, quem Deus, tamquam lumen paravit *ante faciem omnium populorũ, &c. cui Principes & populi omnes Chriſtiani reverentiam, & obſequium præſtare debent.*

Tertiò, Anna (*Superveniẽs confitebatur Domino, & loquebatur de illo † omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël.*) D

De

D § VERBA. Anna quæ *loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant, &c.* docet nos, nequaquam ſatis eſſe, ut expleamus munus finis, ad quem conditi ſumus, ſi nos ipſi Deum laudemus; ſed loquendum etiam aliis, ut Deus laudetur ab omnibus: & cæteri etiam *glorificent Patrem - - - qui in cœlis eſt.* Matth: 5.

A *De fugâ in Ægyptum.* † Matth. 2.

A § Hoc Myſterium eſt materia ſecundæ Meditationis, 2. diei, huius Hebdomadæ.

PRimò, volens Herodes puerulum IESUM interficere, occidi fecit Innocentes, præmonito Ioſeph per Angelum, ut in Ægyptum profugeret (*Surge & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.*)

Secundò, iter corripuit Ioſeph Ægyptum ver-
B sùs (*Qui conſurgens, nocte,* &c. † *ſeceſſit in Ægyptum.*)

B § OPERA. Vide, *quibus in laboribus vigiliis, & caſibus,* jam indè à pueritiâ incipiat verſari CHRISTUS Rex tuus. Cogita item, quàm Joſephus *ad ſequendum & obtemperãdum* promptus fuerit, etiam ipsâ *nocte.*

Tertiò (*Et erat ibi, uſq; ad obitum Herodis.*)

De reditu ab Ægypto. Matth. 2.

A PRimò, admonetur Ioſeph ab Angelo, † ut in terram Iſraël revertatur (*Surge & accipe Puerum & Matrem eius, & vade in terram Iſraël.*)

Secun-

A § OPERA. Conſidera Dei providentiam erga eos, qui ſe totos ipſi devovent: quàm ſapienter, ſuaviter, & fortiter tempora eorum, reſque omnes dirigat: ne igitur dubites, *quoniam ipſi curæ eſt de vobis.* 1. Petri 5. Sed quantum tibi diffidis, tantum ex adverſo fidas Deo, & dic: *Tuâ ego licet indigniſſimus,* FRETUS TAMEN GRATIA ET OPE, *me tibi penitùs offero,* &c.

Secundò, (*Qui consurgens, &c. venit in terram Israël,*)

Tertiò, eò quòd regnabat Archelaus filius Herodis in Iudæâ, recessit in Nazareth.

De Vitâ Domini ab anno ætatis suæ duodecimo usq; ad trigesimum. † Lucæ 2.

A A § Hoc Mysterium contemplandum est die tertiâ hujus Hebdomadæ Meditatione 1.

PRimò, quomodò subditus erat & obediens Parentibus.

Secundò (*Proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, &c.*) † B

B § PERSONÆ. Contemplare CHRISTI conditionem, vestitum, ætatem variam, veluti annorum 15. aut 24. Subeat animum, eius modestia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, continentia, benevolentia erga omnes etiam vicinos, humilitas in arte fabrili.

Sed nominatim ob oculos tibi pone, Ipsius alacritatem in obsequendo, & morem gerendo B. Virgini, & B. Josepho. Quantum hinc parentibus gaudium! Audiamus igitur Apostolum præcipientem ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant - - - ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.*

Tertiò, videtur fabrilem artem exercuisse, † C cùm dicat S. Marcus c. 6. (*Nónne hic est faber?*)

De

C § OPERA. Scrutare negotia, quæ domi geruntur. Quàm omnia sunt rectè ordinata ad finem ob quem homines conditi sunt: quàm moderatus & religiosus usus rerum

rum creatarum: quàm ſapiens earum delectus, ex regulâ finis à Deo præſcripti. Compara familiam hanc divinam, cum familiis aliis hominum à fine ad quem facti ſunt turpiter aberrantium.

CLASSIS PRIMÆ MYSTERIORVM

PARS SECVNDA,

Spectans ad ſecundum ſtatum, qui eſt Perfectionis Evangelicæ.

Hactenus explanatio.

A *De Aſcenſu in Templum anno duodecimo.* † Lucæ 2.

A ſ Huic Myſterio S. P. N. locum dat in Meditatione 2. diei 3. Hebdomadæ 2.

PRimò, natus IESUS annos duodecim, è Nazareth profectus eſt Hieroſolymam.

Secundò, remanſit illic neſciis parentibus.

Tertiò, poſt triduum invenerunt eum in Templo, ſedentem inter Doctores, & ipſe illis cauſam moræ percontantibus reſpondit (*Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*) †

B

De

B ſ VERBA. *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Alliciebat hinc CHRISTUM Pater & Mater, quos amore magno complectebatur: indè vocabat Pater Cæleſtis. Sed præ ſolatio Matris, elegit obſequium æterni Patris. Et ità faciendum fuiſſe, tamquam veritatem indubitatam, confirmat forti illâ interrogatione, *Neſciebatis*

sciebatis? *&c.* Insigne profectò electionis specimen! DEUS præcipit in Decalogo diligi & honorari Parentes; sed tamen præ illis diligendus DEUS. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus*, inquit CHRISTUS, Matth. 10. Quis post hæc dubitet, quin cæteræ res creatæ contemnendæ sint, quando vocamur, ut simus in negotijs Dei, & finis ob quem creati sumus?

NOTA.

POst hanc Meditationem sequuntur celebres illæ Meditationes de duobus Vexillis, & de tribus hominum Classibus: quibus succedit Consideratio trium graduum Humilitatis; quibus exercitijs animus præparatur ad electionem ritè peragendam. Harum igitur Contemplationum spiritu, sequentium Mysteriorum Meditationes etiam imbuendæ erunt. Ubi memoriâ semper tenendum est, cupiditatem divitiarum, & ambitionem honoris, esse vitia inter se maximè coniuncta; esse initium & fundamentum cæterorum vitiorum omnium; esse primos laqueos, quibus mali Dæmones capiant & perdant homines; & quidem ferè eodem ordine, quem S. P. N. in supradictis Exercitijs ponit, ut scilicet primùm multis speciosis rationibus nos conentur irretire cupiditate divitiarum. CHRISTUS verò optimus noster Imperator, ut ad salutem nos ducat, ad contraria prorsùs hortatur, & exemplo suo invitat.

De Baptismo eius. † Matth. 3. A

A ſ Meditamur de hoc Mysterio die 5. huius Hebdomadæ.

PRimò, Matri valedicens, è Nazareth ad Iordanis flumen se contulit, † ubi tunc Ioannes baptizabat. B

Secun-

B ſ PERSONÆ. Intuere CHRISTUM *humili quidem constitutum loco*, inter baptizandos peccatores, & ipsum in similitu-

militudinem peccatoris baptizandum; sed *aspectu summè amabilem.*

Secundò, baptizatus est à Ioanne, excusante se primùm de indignitate, sed compulso his verbis: (*Sine modò, sic enim decet nos implere omnem*
C *iustitiam.*) †

C § VERBA. Vox illa CHRISTI, *sine modò; sic enim decet nos implere omnem iustitiam,* docet nos, quòd abiectio sui & humilitas, *virtutes omnes statim introducunt. Omnē,* inquam, *iustitiam.*

Tertiò, descendit Spiritus Sanctus super eum, & vox de cælo sic attestans (*Hic est filius meus* †
D *dilectus, in quo mihi complacui.*)

D § Verba illa è Cælo audita: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Clamant illum esse *Regem divinitùs electum, &c.*

A *De tentatione Christi.* † Lucæ 4. & Matth. 4.

A § Hoc Mysterium incidit in diem 6. hujus Hebdomadæ.

PRimò, post baptismum secessit in desertum
B Christus, & ibi per dies quadraginta & totidem noctes iejunavit. †

Secun-

B § OPERA: Hîc docet nos CHRISTUS, quòd ij, qui ipsū vocantem sequi volunt, debeant ab initio expugnare, *carnis, sensuum, amorisq; proprij & mundani* rebellionem. Id enim significat secessio ex cœtu hominum, jejunium, & vita aspera in solitudine traducta.

Indè etiam patet, quomodò hostis noster, *Dæmones innume-*

numeros, per totum orbem spargit ad nocendum, nullis ciuitatibus & locis, nullis personarum generibus immunibus relictis: cùm ne CHRISTUS quidem immunis fuerit.

Secundò, ter ab inimico tentatus est (*Accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* † C

C § VERBA. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Perturbata ratiocinatio, & pugnantia involvens. Si enim Filius Dei erat, nihil ei opus erat, lapides in panem convertere, ut famem pelleret. Sed inimicus ille ex campo prodibat Babylonico, ubi perturbata & confusa sunt omnia.

Mitte te deorsum. † D

D § Vox illa, *mitte te deorsum, &c.* quæ temeritate & & horrore plena est, manifestè ostendit, eum à quo profertur, esse *horribilem figurâ, vultuq; terribilem.*

Hæc omnia tibi dabo, † E

E § Agit inimicus more suo, dum dicit: *Hæc omnia tibi dabo, &c.* Solet enim omnes, *correptis injectisq; laqueis, & catenis* trahere *ad cupiditatem divitiarum.*

si cadens adoraveris me.) † F

F § Verba illa, *si cadens adoraveris me,* clarè demonstrant, *Ducem impiorum in cathedrâ igneâ & fumosâ sedere,* hoc est in cathedrâ superbiæ, undè captat vanum splendorem, & fumum honoris, atq; adorationis.

Denique ex responsionibus & verbis CHRISTI, disce *exploratas habere fraudes mali Ducis,* & eas vitare ac repellere per verbum Dei.

Tertiò (*Angeli accesserunt, & ministrabant ei.)*

A De Apoſtolorum vocatione. †

A § Habes hoc Myſterium aſſignatum à S. P. Noſtro diei 7. hujus Hebdomadæ.

PRimò, videntur SS. Petrus & Andreas, fuiſſe ter vocati. Primùm ad ſolam quamdam Chriſti notitiam, *Ioan.* 1. Deinde ad ſequelam ſolùm temporaneam, cum animo revertendi ad piſcationem, *Lucæ* 5. Ultimò ad perpetuam ſequelam, *Matth.* 4 & *Marc.* 1.

Secundò, vocavit filios Zebedæi, *Matth.* 4. Et Philippum, *Ioan.* 1. Et Matthæum, *Matth:* 9.

Tertiò, vocati ſunt reliqui, licet de quorumdam vocatione, & de ordine vocationum, expreſsè mentio non fiat in Evangelio.

B TRia hîc expendenda † ſunt. Primùm, quomodo erant Apoſtoli abiectæ conditionis.

B § Tria hîc expendenda ponit S. P. N. ex quibus perſpicere poſſumus, quàm ſit ſalutare & bonum, *Veri optimiq; Imperatoris CHRISTI, agnoſcere mores ingenuos, & imitari.* Siquidem non aliâ viâ Apoſtoli ad tantam dignitatem evecti fuêre.

Secundò, ad quantam fuerint dignitatem, & quàm ſuaviter vocati.

Tertiò, quibus gratiæ donis, ſupra omnes veteris Teſtamenti Patres, noviq; Sanctos evecti ſint.

De primo Chriſti miraculo facto in nuptiis. Ioan. 2.

PRimò, invitatus fuit Christus cum Discipulis suis ad nuptias.

Secundò, deficere vinum Mater commonuit. (*Vinum non habent*) Et ministris dixit (*Quodcumq; dixerit vobis, facite.*) † A

A § VERBA. B. Virgo docet nos, quale consilium dandum sit ijs, quibus aliquid deest: dicendum videlicet; *quodcumq; Deus dixerit vobis facite*, servate Mandata ipsius, & sequimini vocantem, nec quidquam vobis deerit.

Tertiò, aquam in vinum Dominus convertit. † B (*Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli eius.*)

B § OPERA. Sicut Christus aquam cõvertit in vinum; sic aquas tribulationum, & adversa omnia quæ in eo sequendo acciderint, convertet in vinum consolationis. Quocirca in tribulatione *accersenda etiam spes est, & cogitatio adfuturæ brevi consolationis.* Et quidem in solo Deo spes collocanda. Sicut enim in Nuptiis deficiente vino, ipse solus opem & solatium, divinâ suâ, quâ pollebat; virtute, poterat afferre: sic, *solius est Dei, consolari animam, nullâ præcedente consolationis causâ; cùm hæc sit proprium Creatoris, suam ingredi creaturam, &c.*

Disce etiam non contemnere statum conjugalem, quãvis ad perfectiorem vocatus sis.

De fugatis è Templo negotiatoribus primâ vice. Ioan. 2.

PRimò, ejecit de Templo vendentes illic & ementes, facto ex funiculis flagello.

Secun-

Secundò, (*nummulariorum effudit æs, & mensas*
A *subvertit.*) †

A § OPERA. Magnâ vi opus est, ut evertatur & superetur cupiditas divitiarum: quippè malus hostis, *correptis iniectisq; laqueis & catenis, homines* divitiarum cupidos, arctissimè vinctos tenet, qui laquei & catenæ non franguntur, nisi magnâ cum virtute.

Quia tamen Christus habet & amat *mores ingenuos*, & Columbæ simplicitatem: idcirco mitiùs agit cum vendentibus Columbas, quàm cum Nummulariis, quorum *effudit æs, & mensas subvertit.*

Tertiò, vendentibus columbas mansuetè inquit: (*Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei,*
B *domum negotiationis.*) †

B. § VERBA. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Beati qui habitant in domo tuâ Domine,* Psal. 83. & procul sunt à domo negotiationis, & cupiditate divitiarum.

De Sermone Christi, habito in monte.

A † Matth. 5.

A § Hic sermo est argumentum Meditationis, diei 8. hujus Hebdomadæ.

PRimò, ad dilectos suos Discipulos, octo Christus beatitudinis genera exposuit. Beati paupe-
B res spiritu: † Mites: Qui lugent: Qui esuriunt, & sitiunt justitiam: Misericordes: Mundo corde: Pacifici: Qui persecutionem patiuntur. Se-

B § VERBA. Hæc est Concio CHRISTI exhortatoria, *ad servos & amicos suos omnes* in

in opus tale destinatos, quæ eis præcipit, &c. è diametro opposita Concioni Ducis impiorum.

Complectitur verò tres illos *Perfectionis gradus*, qui sunt, *paupertas, abjectio sui atq; humilitas, quæ - - - virtutes omnes statim introducunt*, quarum aliquæ in isto sermone exponuntur.

Secundò, eos exhortatur, ut acceptis donis seu talentis, utantur rectè (*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*)

Tertiò, ostendit non solvere se legem, sed implere, explicatis præceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, periurio. Et diligendis quoq; Inimicis (*Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Benefacite iis, qui oderunt vos.*)

De sedatâ maris tempestate.
Matth. *8.*

PRimò, dormiente Christo † coorta est in mari vehemens tempestas. A

Secun-

A § OPERA. *Ipse verò dormiebat.* Hoc ferè modo agit Deus, dum jactamur tempestate desolationis. Revoca hîc in memoriam regulas de discernendis spiritibus. Nominatim, *quòd quamdiu premimur desolatione*, possimus *insultibus inimici nostri* obsistere: *assistente nobis præsidio divino, quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur.*

Nulli igitur timori succumbat animus sub auspiciis talis Ducis, quia *Venti, & Mare obediunt ei.* Identidem proindè dicendum: *En, ô Rex supreme, ac Domine universorum, &c.* Nam reverà est Dominus universorum, etiam maris & tempestatum.

Secundò, excitârunt à ſomno eum territi Diſcipuli, quos de fidei levitate arguit (*Quid timidi eſtis modicæ fidei?*)

Tertiò, ventis & mari præcepit, ut conquieſcerent, & facta eſt ſtatim tranquillitas: unde obſtupentes homines dicebant (*Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*)

A De ambulatione ſuper aquas. † Matth. 14.

A § Hæc eſt materia Meditationis die 9. Hebd. 2.

PRimò, cùm in monte adhuc eſſet Chriſtus, Diſcipulis in naviculam abire iuſſis, & (*Dimiſſâ*
B *turbâ, aſcendit in montem ſolus orare.*) †

B § OPERA. Perpende quibus in *laboribus* Chriſtus interdiu perſiſtat, docendo & curando multitudinem ſe ſequentem: & in quibus *vigiliis* noctu perſiſtat, orando: & in quibus *vigiliis & caſibus* etiam perſiſtant Diſcipuli ejus cùm agitaretur noctu navicula.

Secundò, cùm agitaretur noctu navicula eo ipſe venit, ambulans ſuper aquas, unde perterrefacti diſcipuli phantaſma eſſe judicabant.

Tertiò, poſtquàm dixerat ad eos (*Ego ſum, no-*
C *lite timere.*) † S. Petrus accedendi petijt facultatem, & gradiendo ſuper aquas, ob ſubortum metum mergi cœpit, quem increpans Dominus de modicâ fide, naviculam intravit, & ceſſavit ventus.

C § VERBA. Ex illis Chriſti verbis: *Ego ſum, nolite timere:* & *modicæ fidei, quare dubitâſti?* Diſce quòd *ſpiritui* --- bo-

-- *bono* ... *propriũ consuetumq; est, rectè agentibus, animũ ac vires addere, consolari* ... *& trãquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus*, & terroribus, quos *immittit spiritus malignus*.

De missis ad prædicandum Apostolis. Matth 10.

PRimò, Discipulis Iesus convocatis, † dedit potestatem eijciendi dæmonia ex hominibus, & omne morborum genus sanandi.

A ℌ OPERA. Hic enimverò licet *speculari, quo pacto ipse mundi Dominus universi, electos Apostolos, Discipulos, & Ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui & conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impertiant*.

Secundò, prudentiam eos docuit, & patientiam (*Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*)

Tertiò, profectionis exponit modum (*Gratis accepistis, gratis date; nolite possidere aurum neque argentum.*) Ad hæc materiam prædicationis expressit (*Euntes autem prædicate, dicẽtes: Quia appropinquavit regnum cælorum.*) † De

B ℌ VERBA. Doctrina, quam vult impertiri, nil spirat, nisi paupertatem, patientiam, mansuetudinem, humilitatem, contraria nimirùm doctrinæ Luciferi. *Prædicate*, inquit, *dicentes, quia approquinquavit Regnum cælorum*, illud scilicet Regnum, quod antè clausum nunc aperitur, ad quod nos invitans dicit, *mea hæc est iustissima voluntas, totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ità demùm in Patris mei* GLORIAM *intrare: proindè quisquis, &c.*

De conversione Magdalenæ, Lucæ. 7.

A PRimò, Christo accumbente mensæ in Pharisæi domo, ingressa est mulier, † quæ fuerat in civitate peccatrix (sive * Maria Magdalena, soror Marthæ fuerit, sive alia) deferens alabastrinum vas, unguento plenum.

A § OPERA. In re gestâ huius mulieris, habes egregium specimen tertiæ hominum classis. Adverte animũ, & intelliges.

Secundò, stans retro cœpit pedes eius rigare lacrymis, & capillis suis abstergere, deosculari, & ungere.

Tertiò, Criminatam eam à Pharisæo defendit Christus, & ad ipsum ait (*Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*) Et ad ipsam deB inceps: (*Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*) †

B § VERBA. Ad vocem illam CHRISTI: *Fides tua te salvã fecit, vade in pace,* considera, quomodò cùm aberrâsset mulier illa longè à fine suæ creationis, reducta in viam, mox pacẽ assequatur, quam extra viam illã habere non poterat. *Non est pax impijs.* Isa. 48. Nulla verò pax est illis, qui militant sub Vexillo Luciferi.

De quinque millium hominum refectione. Matth. 14.

A PRimò, rogabant IESVM Discipuli, vt dimitteret astantes turbas. †

A § PERSONÆ. Aspice *quinq; millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis,* in quibus (quamvis fortè pauci

Secun-

eorum

eorum abdicârunt se fortunis suis, ut CHRISTO adhærerent) specimen tamen minimè obscurum elucet Evangelicæ cuiusdam paupertatis. *Pedestres* erant. Non erant *soliciti* -- *dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Matth. 6. sed unum CHRISTUM quærebant, & sequebantur, vel in deserta usque loca. Imitemur hunc paupertatis spiritum.

Inter hos intuere CHRISTUM, & ipsum pauperrimum; at pro suis pauperibus mirè solicitum.

Secundò, ipse afferri iussit, quos habebant panes, eosque præmissâ benedictione frangens, Discipulis porrexit, turbis hominum discumbere iussis, apponendos.

Tertiò, comederunt, & saturati sunt, † & superaverunt cophini duodecim. B

OPERA. Ingenti prodigio, cùm discipuli offerrent illi tantummodò *quinq; panes, & duos pisces*, annonam curavit, quæ tantæ multitudini sufficeret: *& manducaverunt omnes & saturati sunt.* O cœnam omnibus epulis suaviorem! *Edent pauperes, & saturabuntur.* Ps. 21. Quin *& tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Usquè adeò videlicet optimus ille Imperator, est liberalis in pauperes suos, ut etiam *abundantiùs habeant.* Ioan. 10.

De transfiguratione Christi. Matth. 17.

PRimò, assumptis IESVS charissimis tribus Discipulis, Petro, Ioanne, & Iacobo, (*Transfiguratus est † ante eos, resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.*) A

Secun-

A ☞ PERSONÆ. Oppone CHRISTUM transfiguratum, *valdè speciosum formâ, & aspectu summè amabilem,* Duci impiorum, quem vidisti *horribilem figurâ, vultuq; terribilem*

lem: sic enim vtriusque voces faciliùs dignosces, & intelliges regulas de discernendis spiritibus.

Secundò, loquebatur cum Moyse & Heliâ.

B Tertiò, rogante Petro, vt fierent ibi tria tabernacula, † insonuit vox de cælo: (*Hic est filius meus*

B § Opera. In hac gloriosâ transfiguratione licet prælibare particulam illius *victoriæ & felicitatis,* quæ laboribus nostris respondebit.

C † *dilectus,* &c, *ipsum audite.*) Vnde consternati Di-

C § Verba. Ex voce illâ, *Hic est Filius meus dilectus,* iterùm patet, illum esse *Regem divinitùs electum:* & ex illâ: *ipsum audite,* patet, quòd illi *Principes & populi omnes Christiani reverentiam & obsequium præstare debent.*

scipuli, proni collapsi sunt, quos tangendo Christus, dixit: (*Surgite, & nolite timere, &c. nemini dixeritis visionē, donec filius hominis à mortuis resurgat.*)

A *De Lazari suscitatione.* † Ioan. 11

A § Hoc miraculum designat S. P. N. meditandum die 11. Hebdomadæ 2.

PRimò, audito Christus nuntio de Lazari ægrotatione, per biduum subsistit, vt euidentius foret miraculum.

Secundò, antequàm suscitet mortuum, vtriusque sororis fidem exstimulat (*Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit,*

B *viuet.*) †

Tertiò

B § Verba. Perpende verba Christi. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, &c.* Quibus consonant hæc Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet*

inveniet eam. Id videlicet agit optimus Imperator noster, ut homines *vitam habeant*, Ioan. 10. Quàm dispar est ratio Ducis impiorum in campo Babylonico, qui nihil molitur, nisi ut *mactet & perdat*. Ioan. 10. & Dæmones suos quaquà versùs *spargit ad* NOCENDUM.

Tertiò, collacrymatus, ac precatus priùs suscitauit illum: † fuit autem, quo vsus est, suscitandi modus, per mandatum (*Lazare veni foras.*) C

C § OPERA. Si umquam, hîc certè exclamandum est; ô, *Rex supreme, ac Domine universorum*, etiam vitæ & mortis!

De cœnâ apud Bethaniam. Matth. 26.

PRimò, cœnabat Christus in domo Simonis leprosi, & pariter Lazarus.

Secundò effudit MARIA vnguentum super caput eius. † A

A § OPERA: Perpende causam, ob quam Maria effuderit unguentum super caput CHRISTI. Quia videlicet est Dominus vitæ ac mortis, quod in Lazaro suscitando apertissimè demonstravit. Præterea Rex noster est supremus, & eo nomine jure ungitur. Deindè quia sacrosanctū CHRISTI caput tam speciosum, tam amabile, tam plenum donis & fructibus Spiritûs Sancti, non domum tantummodò, sed orbem universum, atque adeò vastas illas Cælitum sedes, instar unguenti, suauissimo virtutum replet odore. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. & sequemur te, ô! *Rex supreme, & Domine universorum.*

Tertiò, obmurmurat Iudas: (*Vt quid perditio hæc?*) Denuò verò excusat Christus Magdalenam (*Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.*)

A De die palmarum. † Matth. 21.

A § Hoc Mysterium vult S. P. N. considerari die 12. & ultimâ Hebdomadæ 2.

PRimò, præcepit Dominus adduci asinam, & pullum: (*Soluite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.*)

B Secundò, asinam conscendit, †

B § PERSONÆ. Hîc iterùm datur *conspicari* CHRISTUM *iuxta Ierosolymam, humili quidem constitutum loco.* Nam *ecce Rex tuus, venit tibi mansuetus, sedens super asinam, &c.* Matt. 21. *Sed* tamen cernis eum *valdè speciosum formâ, & aspectu summè amabilem.*

C Apostolorum vestibus instratam †

C § OPERA. Compara hunc triumphum, cum triumphis Romanorum, & huius mundi. In illis divitiæ, & superbia; in hoc spectatur paupertas, abiectio sui & humilitas. Debuisset sanè huic pompæ trium horum graduum, sive virtutum præferri Vexillum.

Tertiò, excepturus eum populus, cùm veniret obuiam, vestimentis suis, & ramis arborum sternebat viam & canebat: (*Osanna, filio Dauid* †
D *benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in altissimis*)

D § VERBA. Audis acclamantes: *Osanna, &c.* Palàm scilicet profitentur & agnoscunt, ipsum esse Regem divinitùs electum: at in illâ hominum multitudine, quàm multi similes erant illis, qui spectant ad primam vel secundam hominum classem. Paucos post dies explorata erit imbecillitas huius erga CHRISTUM voluntatis, quando patientur scandalum Crucis, à quo in voces prorsùs contrarias impellentur. Nos imitemur illos, qui erant in tertiâ classe.

De Prædicatione in templo. † Luc. 19.

A ∫ CHRISTUM concionantem ob oculos ponit S. P. N. die 10. Hebd. 2.

PRimò, docebat † quotidie in templo.

B ∫ OPERA. Confidera Concionum CHRISTI conditiones omnes: ubi, ad quos, quid, quoties, quamdiu, quando, quo zelo. &c.

Secundò, finitâ prædicatione in Bethaniam redibat, nemine apud Hierosolymam ipsum excipiente. † *De cæ-*

C ∫ Quomodò post Concionum labores rediret in Bethaniam, *nemine apud Hierosolymam ipsum excipiente*: ut discas à Deo mercedem sperare, non ab hominibus. *Gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10.

CLASSIS SECUNDA.

MYSTERIA TERTIÆ HEBDOMADÆ.

IN Mysterijs tertiæ Hebdomadæ S. P. N. non tantùm urget nos ad promptam & sinceram imitationem CHRISTI, de quâ suprà in 3. Hebdomadâ egimus; sed pari studio incitat nos ad dolorem de peccatis. Id patet tum ex tertio Præludio, tum ex Punctis ipsis. Et quidem indè ab initio primæ Hebdomadæ, illud egit, ut ad perfectam Contritionem perduceremur: neque suppliciorum tantummodò metu, sed filiorum more, potissimùm duceremur pudore, & verecundiâ. Idcircò Addit. 2. Hebd. 1. commemorat Militem, qui *staret coram Rege suo, & cætu Aulico* ERUBESCENS, *&c.* Idcircô proponit *bonitatem Dei* offensi; & in colloquio Exerc: 1 summam quamdam affert eorum, quæ CHRISTUS passus pro nobis est, quæ ad amorem Dei, & ad veram Contritionem valent vel maximè. Itaque hûc quoque fructum ex Mysterijs tertiæ huius Hebdomadæ referamus, necesse est. Nos

Nos tria Puncta superaddita in hac Hebdomadâ, deinceps compellabimus, *quartum, quintum,* vel *sextum:* tria priora distinguemus per *Personas, Verba, & Opera.*

A ## *De cœnâ vltimâ.* † Matth. 26. & Ioan. 13.

A § Hæc est prima Meditatio diei 1. huius Hebdomadæ.

PRimò, comedit cum Discipulis paschalem agnum, eosque de imminente suâ morte præmonuit (*Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est.*)

Secundò, lavit eorùm, Iudæ quoque ipsius, pedes, incipiens à Petro, qui ad majestatem Christi, & indignitatem suam respiciens, sese opponebat (*Domine tu mihi lavas pedes?*) Ignarus scilicet præberi à Domino exemplum humilitatis, ità posteà declarâte (*exemplum enim dedi vobis, vt, quemadmodum*
B *ego feci, ita & vos faciatis.*) † Ter-

B § VERBA. Postquam CHRISTUS posuisset vestimenta sua, accepisset linteum, præcinxisset se, lavisset, &c. dixit: *Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodùm ego feci, ità & vos faciatis.* Hoc est, *quicumque --- comitari me velit, paratus sit oportet, non alio uti victu, vestitu, rebusque aliis, quàm me utentem conspexerit.*

Quartum Punctum. Quantum contemptûs & injuriarum incipit pati à Iudâ! Quantum in vitâ brevi, prædicens mortem suam id ætatis!

Quintum Punctum. Ut quod elegit promptè exequatur, cohibet Divinam suam virtutem, ne perdat Judam. Quàm dissimiles sunt homines illi, qui moras adeò non impediunt.

unt, aut rumpunt, ut novas semper nectant, *debitaq; adminicula toto vitæ tempore non* adhibent.

Tertiò, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, in signum summæ dilectionis, his verbis utens (*Accipite & comedite, &c.*) Expletâ autem cœnâ, Iudas ad vendendum illum egressus est.

De mysteriis post cœnam & in horto gestis. † Matth. 26. & Marc. 14. A

A § Hæc est altera Meditatio ejusdem diei.

PRimò, peractâ cœna, & hymno dicto, profectus est Christus ad Oliveti montem cum Discipulis suis vndecim, metu plenis: & octo remanere iussit Gethsemani (*Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.*)

Secundò, ductis secum tribus, Petro, Iacobo, Ioanne, oravit ter dicens, (*Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*) † Et in agoniâ existens prolixiùs orabat. B

B § VERBA, CHRISTUS ad Patrem, *Verumtamē*, inquit, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Audiant hoc homines hærentes in secundâ classe, qui cupiunt *Deum potiùs trahere ad votum proprium.*

Tertiò, cùm eò timoris redigi se passus fuisset, ut diceret (*Tristis est anima mea vsque ad mortem*) etiam sanguinem sudavit copiosum, teste Lucâ, (*Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis † decurrentis* C *in*

C § OPERA. Credibile est ex sudore illo sanguineo, *vesti-*

Vestimenta eius iam tum fuisse madefacta cruore. Contemplare igitur vestitum Regis tui.

D *in terram*.) † Undè conijcere licet, vesti-

D § *Quartum Punctum*. Quanta heu! patitur! Quanta est ægritudo animi! quæ ità in corpus redundat, ut tremorem & pavorem concitet, & sanguinem exprimat. Compone cum hisce animi corporisque tormentis *molestias, scrupulos, tristitias - - - & alias id genus perturbationes*, quas nonnumquam *immittit spiritus malignus*. Et ex hoc Imperatoris tui agone vires & animos sume.

E menta ejus iam tum fuisse madefacta cruore, †

E § *Sextum Punctum*. Christus sanguinem dat pro peccatis tuis, tu lacrymas non dabis? Revoca in memoriam Colloquium 1. Exerc. Hebd. 1.

A *De comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum*. † Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioann 18.

A § Duæ primæ partes Mysterij proponuntur die 1. Medit. 2. Pars verò tertia proponitur die 2. Meditat. 1.

B PRimò, permisit se Dominus osculo à Iudâ tradi, † & quasi latronem comprehendi (*Tamquam ad latronem exîstis cum gladiis ac fustibus comprehendere me: Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis*.) Ipsoque inter-

B § OPERA. In quæ scelera non abripit hominem cupiditas divitiarũ! Humani generis

C hostis, *correptis iniectisq; laqueis & catenis*, tenebat Iudam vinctum, & irretitum cupiditate triginta argenteorum: & ecce osculo filium hominis tradit.

Jllud etiam prætereundum non eſt, quàm ſolicitè nequiſſimus ille ſpiritus procurârit, ut, cum vellet perdere Diſcipulum illum, *verba & conſilia ſua occulta* eſſent. Latebat omnes in ultimâ Cœnâ flagitium jam conceptum, præter eum, quem nullum latet ſecretum.

Sed convertamus nos ad CHRISTUM. Sciebat is, quæ anguſtiæ animi & corporis ſubeundæ eſſent in horto illo; prævidebat Iudam venturum ut ſe traderet. Morem tamen ſuum tenuit, & exivit, ut ſolebat. Diſce hinc *tempore deſolationis - - in eis perſeverandum, quæ fuerant priùs conſtituta.* Conſultum tamen eſſe, ut augeantur ea, *quæ contra deſolationis impulſum tendunt, qualia ſunt inſiſtere orationi, &c.* nam CHRISTUS *prolixiùs orabat.*

interrogante, (*Quem quæritis?*) corruerunt in terram † inimici omnes. C

C § VERBA. Admirare virtutem vocis illius, *quem quæritis?* Vel hinc patet liberum fuiſſe CHRISTO, hoſtes ſuos perdere, ſi voluiſſet. Sed amore Patris, & ſalutis noſtræ elegit injurias, & vincula, cùm pro arbitrio ſuo alia omninò eligere poſſet. Sic tu amore Chriſti, ejus inſignia elige, quamvis ſpectato ſolo fine, ob quem conditus es, videretur utrimque par eſſe gloria Dei: & quamvis utrumq; libertati arbitrij tui, ſubiectum ſit, & non prohibitum.

Secundò, ſervum Pontificis percutienti Petro ait (*Mitte gladium tuum in vaginam*) & ſanavit ſervum.

Tertiò, captus, & à Diſcipulis relictus, ad Annæ domum pertrahitur, vbi à Petro paulò poſt ſecuto, ſemel negatus eſt, & alapam accepit † à miniſtro D quodam objiciente (*Sic reſpondes Pontifici?*)

De

D § *Quartum Punctum.* Quid CHRISTUS hic non patitur injuriarum; Ligatur, capitur, alapâ cæditur, &c. deſeritur

ritur à suis. Vide ad quæ te obtuleris, quando dixisti, quòd velis proximè Christum sequi, *in ferendis iniurijs, & adversis omnibus.*

A De gestis posteà in domo Caiphæ. † Matth. 26.

A § Hoc Mysterium proponitur in aurorâ diei 24

PRimò, abducitur ligatus Christus ab Annâ in domum Caiphæ, vbi Petrus rursum eum bis negavit, † atque respiciente ipsum Domino, (*Egressus foras flevit amarè.*)

B B § OPERA. Inquire causam, cur Petrus tam fœdè lapsus sit. Nimirùm *honorem, contemptui; vitam longam, brevi* prætulit.

CHRISTUS verò Petrum permisit sic labi; nosque in desolationē ac tentationem, & nonnumquam in peccatū cadere permittit, *propter nostram - - - tepiditatem atq; acediam,* quia cum Petro sequimur *à longè.* Vel etiam *ut certi planè simus nostrarum virium non esse,* retinere in virtute constantiam; sed fortitudinem & perseverantiam *gratuita esse Dei dona, quæ si vendicemus nobis ut propria; superbiæ & vanæ gloriæ crimen, non sine salutis gravi periculo, incursuri sumus.* Sanè Petrus in ultimâ cœnâ visus est loqui fidentiùs.

C Secundò, permansit ligatus totâ illâ nocte. †

C § *Quartum Punctum.* Recurrant animo, labores & vigiliæ istius noctis, quâ mansit Christus ligatus. Ad ejusmodi labores & vigilias tu quoq; paratus sis.

Tertiò, circumstantes eum satellites illudebant, uexabant, & velatâ facie colaphis cædedant, interrogantes (*Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*) ac modis alijs blasphemabant.

De Christi apud Pilatum accusatione. † Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. & Ioan. 18.

A § Die tertiâ consideratur hoc Mysterium noctu.

PRimò, traducitur deinceps ad Pilatum Christus, & coram eo à Iudæis calumniosè accusatur (*Hunc invenimus* † *subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari.*) A

B § VERBA. Judæi accusantes Christum, dicebant: *Hunc inbenimus, &c.* O! immanem calumniam! Gravissimum id est injuriæ genus. Nam *calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Eccle. 7. Cùm verò te obtuleris ad proximè sequendum Christum *in ferendis injuriis, & aduersis omnibus*, etiam ad calumnias animum compara; & pete à Spiritu sancto donum fortitudinis. B

Secundò; Eo semel atque iterùm examinato retulit Pilatus (*Ego nullam invenio in eo causam.*) † C

C § Pilatus retulit, *ego nullam inbenio in eo causam*: insigne documentum, ita optandas pro CHRISTO injurias, ut non dem eis causam; ut, quatenùs in me situm est, *contemptus mei*, neque *in alicujus detrimentum*, neque *in offensam Dei cedat.*

Tertiò, Barabbæ latronis, quàm Christi IESU liberationem, malle se Iudæi proclamârunt (*Non hunc, sed Barabbam.*) † D

De

D § OPERA. Obstupesce ad sceleratam Judæorum electionem: *Non hunc, sed Barabbam.* Examina causas, & animum adverte ad tuas electiones.

A De transmisso Christo ad Herodem. † Luc. 23.

A § Hoc Mysterium eâdem die 3. proponitur, sed in aurorâ.

B PRimò, Transmisit Pilatus † Christum ad Herodem, æstimans quòd esset Galilæus.

B § OPERA. Transmisit Pilatus CHRISTUM ad Herodē: mens enim ipsius conscia innocentiæ Christi, abhorrebat ab hujus condemnatione. Et *misit ad eum uxor ejus dicens, Nihil Tibi & justo illi, &c.* En ut hominis etiam gentilis, & quem Satanas tenebat plenum peccatis, *spiritus - - - bonus - - - conscientiam - - - pungat assiduè, & per synderesis rationisq́ officium à peccato* deterreat.

Secundò, Herodi poscenti curiosa, nihil penitùs respondit, licet à Iudæis validè accusaretur.

C Tertiò, Ab Herode cum suo exercitu † spre-

C § PERSONÆ. Intuere Herodem *cum exercitu suo*; homines vanos, superbos, inflatos, omnes sub vexillo Satanæ militantes. Ex adverso vide Sanctissimam Trinitatem, *cum Angelis - - - cumq; omni militiâ cælestis Exercitûs.*

Inter hos medium conspice IESUM, ab Herode ejusq; exercitu, spretum, illusum, & insipientiæ veste indutum: sed contemplare Cælites vel ideò magis in admiratione Divinæ ipsius sapientiæ fixos. *Sapientia - - - huius mundi, stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 3.

D tus fuit, † atque veste albâ indutus.

De re-

D § *Sextum Punctum. Cogitare, cùm talia ferat, pro peccatis* superbiæ meæ, *quid agere debeam aut pati eius causâ.*

De reversione ab Herode ad Pilatum. † A
Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. & Ioann. 19.

A § Dividitur istud Mysterium in duas Meditationes, peragendas eodem die quarto; unam, nocte concubiâ; alteram, ad primam lucem.

PRimò, Christum remisit ad Pilatum Herodes, & ambo eâ ipsâ die, cùm priùs inimici essent, sibi inuicem reconciliati sunt. † B

B § OPERA. CHRISTO reduce ad Pilatum, *facti sunt amici Herodes, & Pilatus, in ipsâ die, &c.* Pacificus CHRISTUS est. Nimirùm *paupertas, abiectio sui, atq; humilitas,* quæ in Christo patiente vel màxime elucent, *virtutes omnes statim introducunt.* Etiam illam, ob quam dicuntur *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Secundò, IESUM flagellis cædi † iussit Pilatus: C

Quartum Punctum. O! quantus malorum cumulus invenitur in flagellatione! Procul hinc sanitas; sed ægritudo, dolores, & cruenta vulnera totum occupant corpus. Pro divitiis, paupertatem, imò nuditatem; pro honore, supplicium infame sustinuit.

milites eumdem spinis coronârunt, † atque purpurâ induerunt, deinde irridentes dicebant (*Aue Rex Iudæorum.*) Et colaphos simul impingebant. D

Ter-

D § PERSONÆ. Intuere Regem tuum, & optimum Imperatorem, spinis coronatum, vili purpurâ indutum, arundine pro sceptro instructum. Sic illi Satanæ ministri iustum illum irridebant. Nam quemadmodum ijs, qui *in obsequii divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus, molestias, &c.* Ita eius ministri eosdem

eosdem miris modis vexare solent. *Observabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis.* Psal. 36. *Considerat peccator iustum: & quærit mortificare eum.* ibid.

Tertiò, (*Exivit ergo* IESUS *portans coronam spineam & purpureum vestimentum*) & Pilatus dicit illis(*Ecce*
E *homo*) † Pontifices verò conclamabant (*Crucifige Crucifige eum.*)

E § VERBA. Pilatus dicit illis: *Ecce homo.* Voluit se Christus hominem appellari, cùm esset Deus: ut discam fugere vanos titulos, & ut me hominem abjectissimum esse considerem, & *inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atq. corporis fœditatem; ac me tamquam ulcus & apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues* defluat; hæc enim cognitio sui, gignit, & nutrit virtutes illas, quas in Meditatione de duobus Vexillis Christus suis tantoperè commendat.

De condemnatione & Crucifixione A *IESV Christi.* † Ioann. 19.

A § Die quintâ sub noctis medium instituitur hæc Meditatio.

PRimò, Sedens pro tribunali Pilatus Christum iudicavit, & tradidit crucifigendum, posteaquàm negantes eum Iudæi † suum Regem esse, di-
B

B § PERSONÆ. Aspice Judæos, invidiâ & odio plenos in JESUM innocentem. Vincti erant cupiditate divitiarum, & honorum, & in superbiæ barathro demersi: hinc *in alia vitiorum genera omnia præceps* erat *decursus*, ad ipsum usque deicidium, quod est extremum omnium flagitiorum.

C xerunt (*Non habemus Regem,* † *nisi Cæsarem.* Se-

C § VERBA. Accendere iustâ indignatione, dum au-

 dis

dis Judæos clamantes: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Tu dic ex adverso ad Christum: *Rex meus, & Deus meus,* Psal. 5.

Audi quoq; quid CHRISTUS Crucem ferens, & iam iam conscensurus tibi dicat: audies, ne dubita, voces illas: *Quicumq; igitur comitari me velit, paratus sit oportet, &c. in iisdem quoq; laboribus, &c.* Item illud *Matth.* 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucē suam, & sequatur me.* Tu verò responde illi: *En, ô Rex supreme, &c.*

Secundò, Baiulavit Christus † crucem suam, D donec ob virium defectum, Simon quidam Cyrenæus illam post eum ferre compulsus est.

D § *Sextum Punctum.* Rex tuus à domo Pilati ad montem usquè Calvariæ viam confecit tam sanguinolentam & laboribus plenam, ut te reduceret in viam salutis, à quâ tam turpiter aberrâsti, abutens tam male rebus creatis, immemor finis, ob quem creatus es. Quod si salutis tuæ causâ sit tanta perpessus, quid æquum est te agere & pati ipsius causâ?

Tertiò, Inter duos latrones crucifixus fuit ascripto titulo (IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM.)

De mysteriis in Cruce factis. † Matth. 27. Luc. 23. Ioann. 19. A

A § Hoc Mysterium meditamur die quintâ sub auroram.

PRimò, blasphemias pertulit in cruce † (*Vah qui destruis templum Dei, &c. Descende de Cruce.*) B Et divisa sunt vestimenta eius. Secun-

B § PERSONÆ. Hîc tandem est meta laborum. Contemplare Christum, fixum in Cruce, & animam agentē. Age

Age, huc in memoriam revoca Meditationem de duobus Vexillis. Nam Vexillum Crucis erectum est propè Ierosolymam: *Quia propè civitatem erat locus, ubi crucifixus est* IESUS. Ioan. 19. Erectum, inquam, est, contra Vexillum à Lucifero erectum in campo Babylonico. Considera indè thronum Luciferi; hinc Christi: inde vultum Luciferi truculentum; hinc amabilem vultum Christi morientis.

C Secundò, effatus est Dominus in Cruce verba septem, Orans videlicet pro crucifigentibus: † Latroni parcens: Matrem & Ioannem, sibi mutuò commendans: Exclamans (*Sitio.*) Quando aceto eum potaverunt, & deinde se à Patre dicens derelictum, postea (*Consummatum est*) Ac postremò (*Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*)

C § VERBA. Audi contra Ducis impiorum technas, exhortatoriā Christi è cathedrâ Crucis concionem, quâ provocat & excitat omnes, ad paupertatem, abjectionem sui, & humilitatem. Quin imò factis ipsis perorat: nam *humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2.

Hinc profluxerunt tam illustria virtutum exempla: hinc deprecatio eius pro inimicis: hinc Latronis ad salutis viam conversio: & cætera, quæ in Cruce contigerunt. Hîc tria toties laudata colloquia locum habent: hîc triumphet necesse est tertius Humilitatis gradus.

D Tertiò, Sol obscuratus est, ipso expirante, & petræ scissæ sunt, † aperta quoque monumenta, &

D § OPERA. Terræ motus, & cætera prodigia testantur illum esse Dominum universorum, & Regem divinitùs nobis datum: *Verè Filius Dei erat iste.* Matt. 27.

E velum templi à summo ad infimam vsque partem scissum, & latus lanceâ confossum † aquam & sanguinem effudit.

E § *Sextum Punctum.* In memoriam hîc revoca argumentum colloquij Meditationis primæ, Hebd. *1.*

De mysterio sepulturæ. † Ibidem.

A § Hoc Mysterium iterùm distribuitur in binas Meditationes, quarum una fit noctu, altera primo manè die sextâ.

PRimò, De Cruce sublatus est mortuus Dominus per Ioseph atque Nicodemum, † In conspectu ipso Matris afflictissimæ. †

B § OPERA. Ioseph ab Arimathæâ, *& ipse erat expectãs Regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus* IESU, Mar 15. Sic qui Christo militant sub Vexillo Crucis, generosè debent peragere, quæ sunt ex obsequio ipsius: & liberaliter, sicut Nicodemus, *ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.* Ioan. 19.

C § PERSONÆ. Moveat te in primis mœror afflictissimæ Matris MARIÆ, quæ præ omnibus *laborum & molestiarum* Christi comes & particeps fuit, & perstitit in ijsdem casibus usque ad mortem & sepulturam Filij. Hanc imitare ut *Reginam.*

Secundò, Delatum est ad sepulchrum corpus vnctum & inclusum.

Tertiò, adhibiti sunt inibi custodes.

De

Explanatio.

CLASSIS TERTIA.

MYSTERIA QUARTÆ HEBDOMADÆ.

IN Meditationibus huius Hebdomadæ videndum, quomodò verum sit illud: *Particeps fiat victoriæ & felicitatis unusquisq́, prout laborum, & molestiarum socius extiterit.* Et illud: *Labori enim præmium respondebit.*

Præter-

Prætereà ad charitatem Christi & Dei, & desiderium æternæ felicitatis, animus excitandus.
Puncta indigitabimus, sicut fecimus in Hebdomadâ 3.

De Christi Resurrectione, & apparitione primâ.

A PRimùm, APparuit Dominus Matri suæ, †

A § OPERA. Visenda ante omnes erat Regina Martyrum, quia præ omnibus dolorum Christi particeps fuit.

B postquàm resurrexit, † cùm dicat Scriptura,

B § *Quartum Punctum.* Quò magis abscondita fuit Christi vita, & oppressa tot adversis, eò nunc majoribus prodigijs elucescit. Cùm ægritudine, sanitatem incorruptam; cum Paupertate, divitias, quas tinea non demolitur; cum contemptu, honores divinos; cum morte, vitam commutavit immortalem. Vos etiam per tertium gradum Humilitatis *mortui* sitis, *& vita vestra abscondita - - - cum Christo in Deo: cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ.* Coloss. 3.

quòd apparuit multis. Licet enim nominatim illam non exprimat, id nobis tamen relinquit pro certo, tamquàm intellectum habentibus: ne alioqui iure audiamus illud: *Adhuc & vos sine intellectu estis?*

De *secundâ apparitione.* Marc. 16.

A PRimò, Summo manè ad monumẽtum profectæ † sunt Maria Magdalene, Iacobi, & Salome inter se dicen-

A § OPERA. Insignis fuit mulierũ con-

constantia in quærendo & sequendo Christo. *Quis revolvet*, inquiebant, *nobis lapidem?* Non tamen idcircò pedem retrò tulerunt. centes (*Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?*) Tu quoque constans esto in ritè factâ electione. Ne cede difficultatibus, invenies revolutum lapidem. Vnusquisq; enim *æstimare debet, cum Dei gratiâ, se posse plurimum, facileq; adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spem suam, & animum suũ corroboret.*

Secundò, viderunt lapidem revolutum, & Angeli dictum audierunt (IESVM *quæritis Nazarenum Crucifixum. Surrexit, non est hîc.*) † B

B § VERBA. Si nihil te moveat ad eligendum, *nisi habitâ in primis tàm divinæ laudis, quàm nostræ salutis certâ ratione;* & si non ducaris, *carnali ullo affectu, vel studio perverso*, sed Christum quæras sincerè, instructus spiritu tertij gradûs Humilitatis: facilè intelliges, qua parte salus tua quærenda non sit, & quâ parte CHRISTUS inveniendus non sit: respondebit enim Angelus bonus tibi æquè, atque mulieribus istis: Quæris IESUM *Nazarenum crucifixum - - non est hîc.* Non est in hoc statu, non est in hac electione, &c.

Tertiò, apparuit Mariæ Magdalenæ, † quæ, aliis digressis, juxta sepulchrum restiterat. C

C § PERSONÆ. CHRISTUS Mariæ Magdalenæ se exhibuit in formâ Hortulani. Nil mirum, si in specie magis gloriosâ apparuerit Matri suæ, quæ fuit magis particeps crucis & dolorum.

De apparitione tertiâ. Matth. vlt.

PRimò, redibant à monumento mulieres cùm timore simul & gaudio † ingenti, vt narrarent A

A ſ OPERA: Redibant mulieres *cum timore & gaudio magno*. Gaudebant, quòd ſcirent ipſum ibi non eſſe, ſed ſurrexiſſe. Cauſa timoris & ſolicitudinis, inter cæteras, erat, quòd neſcirent ubinam eſſet. Ita ſit, dum IESUM per electionis regulas quærimus. Non ſine gaudio audimus: *Non e hîc*: hic ſtatus, hoc negotium non eſt eligendum: ſed mixtus manet timor & ſolicitudo, quamdiu neſcimus, quid amplectendum ſit, ubi CHRISTUS inveniendus.

rent Diſcipulis, quidquid de Domini reſurrectione intellexerant.

B Secundò, apparens eis in viâ Chriſtus, ait (*Avete*) † E t, illæ accedentes, ac proſtratæ ad pedes eius, ipſum adorârunt.

B ſ VERBA. Ad unam vocem, *Avete*, agnoſcunt CHRISTUM. Nempe is erat vocis illius ſonus, ea ſuavitas, ut facilè ſentirent eam proficiſci non poſſe niſi ab eo, quem ſciebant eſſe *valdè ſpecioſum formâ, & aſpectu ſummè amabilem*. At ducis impiorum & mali ſpiritûs vox ex contrarijs omninò ſignis dignoſcitur: prodit enim ab horribili figurâ vultûque terribili, & inſinuat ſe illis, *qui promovent in bono ſalutis - - - duriter, implacidè, & violenter, cum ſtrepitu quodam - - - qui facilè adverti queat*.

C Tertiò, affatus eſt illas Dominus (*Nolite timere. Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.*)

De apparitione quartâ Lucæ vltimo.

A PRimò, Auditâ Petrus ex mulieribus Chriſti reſurrectione, cucurrit ad monumentum.

Secundò, introgreſſus, ſolâ vidit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

Tertiò

Tertiò, cogitanti ſuper his Petro Chriſtus ſe oſtendit, † vnde dicebant Apoſtoli (*Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*) A

A § OPERA. Quamvis Petrus fuerit Chriſtum patientem ſecutus *à longè*; tamen diutiùs ipſi adhæſit, quàm cæteri. Quamvis ter ipſum negaverit; *flebit* tamen *amarè*. Non ſine causâ proindè CHRISTUS Petro ſeſe redivivum exhibuit ante alios, qui dicebant: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

Credibile eſt Chriſtum apparuiſſe Petro, non minori cum gloriâ, quàm apparuerat in monte Thabor. Si igitur tunc Petrus, oblitus rerum omnium caducarum, dixerit: *Bonum eſt nos hîc eſſe, &c.* Matth. 17. quis ardor æternæ Patriæ nunc non ſubiit animum Petri? Profectò Petrus deguſtans partem illius felicitatis, quæ manet eos, qui Chriſtum generosè ſequuntur, apud animum ſuum illud certiſſimè concludebat: *Neminem fore ſanæ mentis, qui non cupidiſſimè Chriſti ſervitio, ſe totum offerat & addicat.*

De apparitione quintâ. Ibidem.

PRimò, duobus diſcipulis deinceps apparuit, † cùm irent in Emmaus, & de ipſo colloquerētur. A

A § OPERA. Etiam his Diſcipulis euntibus in Emmaus apparet CHRISTUS *in ænigmate*, quia erant *tardi corde ad credendum.*

Secundò, Redarguit eorum incredulitatem, & myſteria paſſionis atque reſurrectionis ipſis expoſuit (*O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, † & ita intrare in gloriam ſuam?*) B

Ter-

B § VERBA. *Nonnè oportuit pati* CHRISTUM, *&c.*

Quid

Quid aliud hoc est, quàm, *quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit.*

CHRISTUS ad eosdem dixit: *& estis tristes.* Quæ verba ostendũt duos illos discipulos fuisse in desolatione. Nam reverà erat in illis quædam *animæ obtenebratio - - - trahens in diffidentiã - - - undè se anima tristari* sentiebat. Non tamen à Deo fuêre derelicti, *assistente* illis *iugiter præsidio divino, licet tunc nequaquàm* sentiretur; imò & assistente ipso Christo, licet tunc *oculi - - - illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Sed senserunt, & agnoverunt posteà, quantoperè etiam in desolatione illâ fuerint adjuti.

Tertiò, rogatus, cum eis mansit, fractoque ipsis pane disparuit: qui subitò in Hierusalem reversi
C nuntiaverunt Apostolis, † quomodo vidissent eum, & in fractione panis agnovissent.

C § *Quintum Punctum.* Considera quanto gaudio & solatio illos CHRISTUS deinde impleverit, pulsâ desolatione. Nobis, dum sumus in desolatione *accersenda etiam spes est, & cogitatio adfuturæ brevi consolationis,* quæ superat omne genus consolationis, quod *ab amicissimo quopiam præstari potest.*

De apparitione sextâ Ioann. 20.

A PRimò, Discipuli omnes præter Thomam, domi congregati erant propter Iudæorum metum. †

Secun-

A § VERBA, Discipulis domi manentibus propter metum Iudæorum, dicit CHRISTUS, *Pax vobis.* Nam *proprium est Dei, & Angeli cuiusq; boni, veram infundere spiritualem lætitiam animæ, quam movent sublatâ tristitiâ, & perturbatione omni, quam ingessit Dæmon.* Sicut animis Discipulorum ingesserat per Iudæos.

Secundò, Ingressus ianuis clausis † Christus (*Stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.*)

B § *Quartum Punctum.* CHRISTUS fuerat captus, ligatus, & *crucifixus* --- *ex infirmitate.* 2. Cor. 13. Nimirùm Divinitas illo *tempore videbatur abscondita.* At nunc gloriosus ingrediens ianuis clausis, ostendit se nullis carceribus posse teneri, nulli infirmitati obnoxium esse. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* 1. Cor. 15. *ut particeps fiat victoria & felicitatis unusquisque, &c.*

Tertiò, Spiritum Sanctum † eis dedit, & ait: (*Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c.)

C § *Quintum Punctum.* En *quàm prompto copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio.* Dat ipsis ipsum Paracletum, ipsum Consolatorem. *Accipite,* inquit, *Spiritum Sanctum.*

De apparitione septimâ. Ibidem.

PRimò, S. Thomas, cùm apparitioni prædictæ non interfuisset, † protestatus erat (*Nisi videro,* &c. *non credam.*) Secun-

A § PERSONÆ. Contemplare Thomam desolatione & tentatione implicatum. Nam malus spiritus *sophisticis argumentis quibusdam,* ipsum eò adduxerat, ut cæteros *electos Apostolos* --- *& Ministros,* quos CHRISTUS mittere decreverat, *ut Doctrinam sanam ac salutiferam impertiant,* de ejus Resurrectione testificantes, nollet audire. Erat quoque in eo, *inquietudo, & agitatio,* quam prodit perturbatus loquendi modus: *Nisi videro, &c. non credam.* Erat denique hæc contra fidem *tentatio* --- *spem charitatemque expellens,* vel multùm imminuens.

Secundò, Post dies octo, iterum clausis ianuis obtulit se videndum Christus, & Thomæ dixit: † B

B ʃ OPERA. Thomæ in eiusmodi periculoso statu versanti, CHRISTUS, summâ cum benignitate, sese videndum, atque adeò palpandum obtulit. Undè discat, quicumque mittitur, ut homines ad salutis viam reducat; quòd, si quem *videat desolatione affici, seu tentatione, cavere debet, ne se durum vel austerum illi exhibeat; sed mitem potiùs ac suavem præstet.*

(*Infer digitum tuum huc, & vide,* &c. & *noli esse incredulus, sed fidelis.*)

Tertiò, Exclamavit Thomas (*Dominus meus, &* C *Deus meus.*) † Cui subintulit Christus: (*Beati qui*

C ʃ VERBA Thomæ, *Dominus meus, & Deus meus.* Quantus in his est sensus amoris! Tu quoq; spiritu plenus Meditationis de Regno Christi, dic cum Thomâ: *Dominus meus, & Deus meus. Rex meus, & Deus meus. O Rex supreme, ac Domine universorum!*

D *non viderunt,* † *& crediderunt.*) De

D ʃ VERBA. Addit CHRISTUS: *Quia vidisti: &c. Beati qui non viderunt, &c.* Quibus verbis naturam tentationis illius demonstravit; & quantum boni, ac felicitatis consecutus fuisset, si tentationem superâsset, Thomam edocuit. Necesse enim est, ut qui desolatum juvare studet, se *suavem præstet, confirmato eius animo - - detectisq; inimici nostri versutiis,* exponendo tentationis causas, & effecta.

De apparitione octavâ. Ioann. vltimo.

PRimò, Palàm se denuò fecit Christus piscantibus † septem Discipulis, qui, cùm totâ nocte nil cepissent, iactum ad mandatum eius rete (*Iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.*) A

A § OPERA. In opere piscationis paupertas Discipulorum agnoscitur, qui victum *manu & arte* quærebant: & quidem arte laboriosâ etiam in vigilijs. CHRISTUS pauperes voluit illos manere, quia paupertas ad abiectionem & humilitatem est gradus, undè omnes virtutes oriuntur.

Secundò, per id miraculum, agnoscens eum Ioannes, ait Petro (*Dominus est:*) qui confestim desiliens in mare, † ad Christum accessit. B

B § In opere Petri, ad primam vocem illam *Dominus est,* desilientis in mare, habemus specimen quoddam primi temporis electionis, *quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imò etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quominùs sequatur impulsionem talem.*

Tertiò, dedit eis, ut comederent † panem & piscem. Posteà Petro an se diligeret, ter interrogato, suum ovile commendavit (*Pasce oves meas.*) C

De ap-

C § *Quintum Punctum.* At quàm accommodato ad tempus, & Discipulorum ingenium, post vigilias & labores, utitur consolationis genere; tum in piscium tantâ multitudine divinitùs concessâ; tum in prandio illo frugali quidem, & pauperibus Piscatoribus usitato; at epulis, & exquisitis cibis omnibus suaviore! *Parâsti in dulcedine tuâ pauperi Deus.* Ps. 67. At verò genus illud consolationis, quo pauperes spiritu, quorum *est Regnum Cælorum,* replebuntur, post labores huius vitæ, quando CHRISTUS *faciet illos di-*

scumbe-

ſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Lucæ 12. *Oculus non vidit - - - nec in cor hominis aſcendit.* 1. Cor. 2.

De apparitione nonâ. Marci vltimo.

PRimò, ex Domini mandato abeunt Diſcipuli ad montem Thabor.

Secundò, ijs apparens ille inquit: (*Data eſt mihi*
A *omnis poteſtas* † *in cœlo, & in terrâ.*)

A ſ Verba. Christus dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ.* Anteà dixerat Iudæis: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22. Vide, quomodò ſpoliatio, contemptus, vulnera & mors, quibus poteſtas tenebrarum ad horam ſolet affligere pauperes & humiles ſpiritu, convertantur in ſempiternam poteſtatem in Cælo, & in terrâ.

B

Tertiò, mittens eos ad prædicandum † per vniverſum orbem, ſic mandavit: (*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*)

B ſ Opera. Hac poteſtate uſus Christus, *ipſe mundi Dominus univerſi, electos Apoſtolos, Diſcipulos, & Miniſtros alios per orbem* mittit, *qui omni hominum generi, ſtatui & conditioni, doctrinam ſacram ac ſalutiferam impertiant.* Nam omnes etiam Reges ipſius poteſtati ſubiecti ſunt. *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

De *apparitione decimâ.* I. Cor. 15

A DEinde *viſus eſt plusquam quingentis* † *fratribus ſimul.*)

A ſ Personæ. Circumſpice illos plus quàm quingentos fratres ſimul. Vide *vocationem eorum, quia non multi*

 ſapien-

ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia mũdi elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt aeſtrueret. 1. Corinth. 1. Uſque adeò Deus amat paupertatem, abiectionem ſui, & humilitatem. Excita ſpiritum tertij gradûs Humilitatis.

De apparitione undecimâ. Ibidem.

APparuit deinde Iacobo: † A

A § PERSONÆ. CHRISTUS *deindè viſus eſt Iacobo* 1. Cor. 15. Fuit is, ut ex S. Hieronymo in Catalogo Script. Eccleſ. intelligitur, Frater Domini, cognomento, *Iuſtus.* Meritò ſanè *Iuſtus* appellatus eſt. *Hoc enim unuſquiſq; perſvaſum habeat, tantum ſe in ſtudijs ſpiritualibus promoturum eſſe, quantum ab amore ſui ipſius, & commodi proprij affectione ſeſe abſtraxerit.* Quàm verò Iacobus id generosè præſtiterit, teſtatur Offic. Eccleſ. 1. Maii, in quo legitur, quòd *ab ineunte ætate vinum & ſiceram non bibit, carne abſtinuit, numquam tonſus eſt, nec unguento, nec balneo uſus.* Demonſtravit verò CHRISTUS, quanto amore huiuſmodi viros amplectatur; quando ſeſe redivivum Iacobo exhibuit.

De apparitione duodecimâ.

APparuiſſe Chriſtum etiam Ioſepho ab Arimathiâ, † legitur in hagiographis quibusdam: & veriſimile eſt, atque meditatu pium. A

De

A § PERSONÆ. De Ioſepho ab Arimathæâ, Matt. 27. narrantur, & pluribus exponuntur officia, quibus proſecutus eſt Chriſti iam vita mortali functi corpus, quod poſuit *in monumento ſuo novo, quod exciderat in petrâ, & advolvit ſaxum magnum ad oſtium* MONUMENTI, *& abijt.*

Marc.

Marc. 15. vocatur *nobilis Decurio*: & dicitur, quòd *audacter introivit ad Pilatum.* Et Lucæ 23. vocatur *vir bonus, & Iustus, &c.* Ioan. verò 19. dicitur, *quòd esset Discipulus* IEsu, *occultus autem propter metum Iudæorum.* CHRISTUS pauper & inops rerum, à Iosepho divite opum, sed paupere spiritu adiutus fuit; à nobili, sed humili: occultus is fuerat propter metum, sed post mortem Christi factus est fidentior.

VERBA. Si Matth. 26. CHRISTUS de muliere effundente unguentum *super caput ipsius* dixit: *Opus enim bonum operata est in me - - - ad sepeliendum me fecit, &c.* Quid non dixerit CHRISTUS apparens Iosepho pro tot obsequiis in funere ipsius præstitis? Quid non Iosephus vicissim Christo?

Quintum Punctum. Quis explicet solatium & gaudium Iosephi: qui sic pro rebus suis amore Christi dimissis, & Christo donatis, centuplum & ampliùs se reputabat accepisse?

De apparitione decimâ tertiâ.

1. Corinth. 15.

A APparuit & Beato Paulo † post Ascensionem. (*Novissimè autem omniū tamquàm abortivo visus est: & mi-*

A § VERBA. CHRISTUS ait ad Paulum: *Saule, Saule, quid me persequeris? - - durum est tibi contra stimulum calcitare.* Act. 9. Quàm diversæ sunt hæ voces, ab illis: *Avete: Pax vobis, &c. Cuius sanè diversitatis ratio est, quatenùs Angelo,* vel spiritui loquenti, *similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu & pulsu, qui facilè adverti queat, ei se coniungit.* Erat autem dispositio animæ Pauli tunc contraria spiritui bono.

& mihi) inquit ipſe. Apparuit etiam Patribus in limbo, † quoad animam, & poſtquàm inde educti ſunt. B

B § Personæ. Multa in Patribus, qui in limbo erant; multa in Paulo ſunt, quæ meditandi materiam copioſam præbeant.

Denique, reſumpto corpore, apparebat paſſim Diſcipulis, & cum eis crebrò verſabatur.

De Aſcenſione Christi. Act. I.

PRimò, Poſtquàm iam per dies quadraginta multoties ſe Chriſtus Diſcipulis ſuis vivum exhibuiſſet (*in multis argumentis*, &c. *loquens eis de Regno Dei*) miſit eos Hieroſolymam, vt promiſſum ſibi Spiritum Sanctum, illic expectarent.

Secundò, Eduxit eos ad Oliveti montem. (*Et videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*)

Tertiò, Iiſdem in cœlum ſuſpicientibus dictum eſt per duos illos viros in veſtibus albis aſſiſtentes, quos Angelos fuiſſe credimus: (*Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic* Iesus, *qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum,* † A

ſic

A § *Quartum Punctum.* Illuſtri profectò miraculo Divinitas, quæ videbatur abſcondita in Paſſione, nunc eluceſcit. Tunc natura humana pedibus Iudæorum quaſi conculcabatur; nunc ſuper aſtra evehitur. Ejuſmodi triumphi particeps fiet *unuſquiſq; prout laborum, ac moleſtiarũ ſocius exſtiterit.*

B *ſic veniet*, †

B ʃ Verba. Dicebant Angeli: *Quid ſtatis aſpicientes, &c. hic IESUS - - - ſic veniet, &c.* Veniet in horâ mortis tuæ: veniet in noviſſimo die. Proſpice igitur, *quo te conſilio - - .* illo tempore *uſum eſſe* velles. *Quo agnito nunc* utere, *ut eo tempore magis* ſis *ſecurus.*

C *quemadmodùm vidiſtis eum euntem in cœlum.*) †

C ʃ *Quintum Punctum.* Quis cogitando aſſequatur ſolatium & deſiderium ſui, quod CHRISTUS ad Superos diſcedens, in Diſcipulorum animis reliquit? Sic optimus ille Imperator eos, qui in hac mortalì vitâ, ſub Vexillo Crucis per tertium humilitatis gradum militant, conſuevit caſtiſſimis ſolatiis hîc recreare, ac deindè torrente voluptatis ſempiternæ in cœlo quodammodò inebriare.

Regulæ aliquot, ad motus animæ, quos A diverſi excitant ſpiritus, diſcernendos, † ut boni ſolùm admittantur, & pellantur mali.

Adver-

A § Hæ Regulæ, ſicut & ſequentes, diligenter ſunt pervolvendæ. Ad illas intelligendas, non parùm iuvat, benè exercitatum eſſe in Meditatione de duobus Vexillis. Ibi enim ex ingenio, naturâ, aſpectu & vultu utriuſq; ſpiritûs facilè diſcernitur, quæ inſpiratio, & quomodo ab unoquoq; proveniat. Aliter enim agit ſpiritus malus, cum illis, quos ſibi habet obnoxios & ſervos; aliter cum illis, quos habet ſibi contrarios. Idem eſt de ſpiritu bono.

Legendæ de his Regulis Annotationes 6. 7. 8. 9. & 10. inter 20.

Legendum item Direct. Cap. 27. §. 1. 2. 3. 4. & 5.

☞ Suarez Tô. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. hæc

P5 habet

habet de his Regulis, N. 31. 1. *Certum est dari --- inter nos quosdam motus, tam intellectûs quàm voluntatis, ex speciali Dei motione gratis prævenientis --- & hi vocantur --- illuminationes, &c.* 2. *Certum est huiusmodi internas inspirationes, vel illuminationes, interdum fieri immediatè ab ipso Deo qui --- aliquam specialem vocationem seu motionem habet sibi soli reservatam --- interdum verò & sæpe fiunt per bonos Angelos custodes --- unde --- etiam est certum, dæmones conari ad imitandum, quantum possunt, hāc internā motionem, convertendo illam in malum --- interdum apertè, interdum sub specie boni.* 3. *Certa doctrina est, --- quòd Angelus solùm potest excitare voluntatem, medio intellectu & appetitu sensitivo, & utrumq; horum mediis phantasmatibus, seu obiectis sensibilibus, & imaginariis. Deus autem immediatè potest movere ipsum intellectum & voluntatem ---- neq; Angeli possunt in rebus quidquam efficere immediatè, nisi motum localem --- immediata autem motio intellectûs & voluntatis, non fit per localem motum.* N. 32. *Probate spiritus, an ex Deo sint --- & ideo inter gratias gratis datas, numeratur discretio spirituum.* 1. Cor. 12. *Quamvis autem hoc donum interdum detur --- extraordinario & peculiari modo supernaturali, nihilominùs necessarium est, ut sit aliquis modus ordinarius in Ecclesiâ.* ut probat in gratiâ sanitatum. *&c.*]

ADVERTENDVM est, quòd potissimũ conueniunt Exercitiis primæ hebdomadæ. †

B ☞ His regulis utendum, apud spiritualium rerum inexpertos, quando in primâ Hebdomadâ crassis, apertisq; tentationibus vexantur, sicut pluribus explicatur, Annot. 9. inter 20.]

PRima regula est, Quòd illis, qui facilè peccant lethaliter, & peccatum peccato addunt, ferè solet inimicus noster illecebras carnis & sensuum

dele-

C delectationes † obiicere, vt eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus verò bonus, è contrario, conscientiam illorum pungit assiduè, & per synderesis, rationisque officium à peccando deterret.

C § ☞ Nota, ubi S.P.N. dicit, *Quòd illis, qui facilè peccant lethaliter - - - solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes obiicere*, hæc non esse synonyma, nec per *sensuum delectationes* necessariò intelligi illecebras carnis. Per *sensuum* enim *delectationes* potiùs intelligenda est cupiditas divitiarum, & honoris. Sic *concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, aliud sunt, quàm *concupiscentia carnis*. 1. Ioan. 2. Et hic S. P. Nostri sensus confirmatur ex Annot. 9. inter 20. ubi pudorem & timorem, ortum ex *mundani honoris* æstimatione, recenset inter crassas, apertasq; tentationes, ad quas corrigendas, *supersedendum est usu Regularum, quæ ad secundam Hebdomadam pertinent - - - & iis utendum solis, quæ in primâ dantur*. Tunc nimirùm est utendum Regulis, quæ ad secundam spectant Septimanam, quando appetitus ille opum & honoris tegitur falsâ quadam specie boni.]

B SEcunda, Quòd aliis hominibus, qui se á vitiis & peccatis purgandos curant sollicitè & in obsequij diuini studio, magis ac magis in dies promouenti immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono, ex opposito, proprium consuetumque est rectè agentibus, animum ac vires D addere, † consolari, devotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatem dare, subla-

D § ☞ Hunc Spiritum bonum, quodammodò imitari

tari debet is, qui alterum exercendum curat, quando videt illum desolatione affici, seu tentatione, sicut traditur Annot. 7. inter 20.]

sublatis obstaculis omnibus, vt expeditiùs alacriùsque per opera bona semper vltrà tendant.

TErtia, quòd spiritualis propriè consolatio † E tunc esse noscitur, quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec iam creaturam vllam, nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lacrymæ funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, siue ex meditatione passionis Christi, sive aliâ ex causâ qualibet, in Dei cultum & honorē rectè ordinatā. Postremò, consolatio quoque dici potest, fidei, spei, & charitatis quodlibet augmentū. Item lætitia omnis, quæ animam ad cælestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem & pacem cum Domino habendam, solet incitare.

E § ☞ Observat Directorium Cap. 27. §. 3. quòd hæc consolatio, non sit habitus, sed veluti spiritualis passio, data supernaturaliter, cuius naturam, partes, & modos, breviter Directorium ibidem exponit.]

QUarta. Quòd spiritualis è contrà desolatio † F vocari debet, quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas, seu terrenas: omnis denique inquietudo & agitatio, sivè tentatio trahens in diffidentiam de salute; & spem, charitatemque

F §. Attentè legenda sunt, quæcūque S. P. N. tradit in utrisque Regulis, de consolationibus, & de desolationibus

temque expellens. Undè se anima tristari, tepescere, ac torpere sentit, & de ipsius Dei Creatoris sui clementiâ, propè desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraque oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositæ.

nibus: nec usu segniori exercenda. Nam solidæ virtutes, ad quas consequendas iuxta Reg. Summ. 22. insistere debemus, hoc differunt à non solidis; quòd virtutes, si solidæ sint, in desolatione æquè atq; in consolatione sibi constabunt, & firmæ permanebunt. At si solidæ non sint, facilè cedent desolationi, & ad nihilum recident.

G QVinta, Quòd tempore desolationis nihil deliberandum, † aut innovandum est circa propositum animi, aut vitæ statum, sed in eis perseverandum quæ fuerant priùs constituta, puta, præcedente die, vel horâ conso-
* lationis. * Quemadmodùm e-
cc nim, dum fruitur quis consolatione illâ, quam diximus, non proprio suo, sed boni spirtûs instinctu regitur: ita, obversante sibi desolatione, agitur à malo spiritu, cujus instigatione nihil vnquam rectè conficitur.

G § Quia deest tranquillitas animi, quam requirit, S.P. Noster, in Tertio tempore ad electionem faciendam opportuno: de quo vide Director. Cap. 28. §. 2. ubi in hanc rem affertur illud Eccli. 2. *Ne festines in tempore obductionis.* Svadeturq; ut progrediamur in meditationibus, donec tempestas deferveat.

SExta, Quòd tametsi desolatione affectus homo, priora sua consilia minimè debet immutare: ex-

pediet tamen provideri, & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt: qualia sunt, insistere orationi, cum discussione sui, ac pœnitentiæ aliquid assumere. †

H § Quomodò absente consolatione, sint pœnitentiæ assumendæ, quomodo mutandæ per intervalla, & interdum plus aut minus adhibendum, explicat *S.* P. N. in hebd. 1. addit. 10. notabili 3.

SEptima, Quòd quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui à Domino nobis ipsis, probationis causâ, vt per naturales quoque vires, † insultibus inimici nostri obsistamus. Id quod possumus haud dubiè, * assistente nobis iugiter præsidio divino, licet tunc nequaquàm sentiatur, eò quòd fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relictâ nihilominùs gratiâ, quæ ad benè operandum, & ad consequendam salutem, satis esse queat.

I § ☞ Quomodò gratia hîc nō *excludatur simpliciter, sed solùm quoad maiorem quamdam abundantiam, & cōsolationem,* ostendit ex verbis *S,* P. Nostri Suarez To. 4. de *R*el. Tr. *10.* lib. 9. Cap. 5. n. 42. & 44.]

OCtava, Quòd hominem tentatione pulsatum, mirè iuvat patientiæ servandæ studium, vt quæ vexationibus huiusmodi propriè opponitur, & è diametro resistit. Accersenda etiam spes est, & cogitatio adfuturæ brevî consolationis: si præsertim per Sanctos conatus in sextâ regulâ signatos, desolationis impetus frangatur.

Nona

K NOna, Quòd causæ desolationis tres sunt præcipuæ. † Prima, quia propter nostram in spiritualibus studijs seu exercitijs tepiditatem atque acediam, consolatione divinâ meritò privamur. Secunda, vt probemur quinam sumus, & quomodo in Dei servitium & honorem, absque præsente quodam consolationum, donorumque spiritualium stipendio nosmet impendimus. Tertia, ut certi planè simus nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem deuotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem: sed omnia hæc gratuita esse Dei dona, quæ si vendicemus nobis vt propria, superbiæ & vanæ gloriæ crimen, non sine salutis gravi periculo, incursuri sumus.

K § Examinandæ sunt hæ præcipuæ, aliæq; causæ, quænam scilicet ex iis in nobis locum habeant, ut propria iis remedia adhibeamus; & hoc est quod supra dictum est Reg. 6. quod insistendum sit orationi, *cum discussione sui.*

DEcima, Quòd fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente: vt iam inde acrimoniam & robur animi maturè comparet, ad impetum eius reprimendum.

VNdecima, vt ille idem, affluente consolatione seipsum deprimat ac vilifaciat quantum potest, reputando secum, quàm imbellis, quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugnante, nisi

nisi per gratiæ & consolationis divinæ opem, citò sublevetur. Contrà verò ille, quem desolatio molestat, æstimare debet cum Dei gratiâ, se posse plurimùm, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodò in Dei virtute collocet spem suam, & animum suum corroboret.

DVodecima, quòd hostis noster naturam & morem muliebrem refert, † quoad imbecillitatem virium, & animi pervicaciam. Nam sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit, erecto & constanti vultu sibi obsistere, abiicit illicò animũ, ac terga vertit: sin verò timidum, fugacemq; esse animadverterit, in extremã surgit audaciam, & in illum ferociter invadit. Itidem consuevit dæmon animo & robore planè destitui, quoties spiritualẽ athletam, corde imperterrito, ac fronte arduâ tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet, ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferacior, acrior & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostrâ, malignæ obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat.

L § Similitudines his ultimis tribus regulis propositæ, satis planæ sũt, ut intelligantur; & iuvat illas nobis quodammodo familiares reddere, adhibendo illas identidem, tum ad nostrum, tum ad aliorum usum.

DEcima tertia, Quòd idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum fili-

am, vel uxorem viri alicuius probi volens seducere, summoperè procurat, vt verba & consilia sua occulta sint, nilque reformidat magis ac ægrè fert, quàm si puella patri suo, vel uxor marito, illa patefaciat, cùm sciat hoc pacto de votis & conatibus suis actum esse. Ad eumdē modum obnixè satagit diabolus, ut anima, quam circūvenire cupit ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur verò maximè, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur, à quibus ità excidere se funditùs intelligit.

DEcima quarta, Quòd solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque deprædari cupiens, exploratâ priùs naturâ & munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit animam, & callidè inquirit, quarumnam virtutum præsidijs, moralium scilicet, aut theologicarum, ipsa vel munita vel destituta sit: eâque potissimùm parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minùs ceteris firmatam custoditamque esse præviderit.

Regulæ aliæ utiles ad pleniorem spirituum discretionem, & secundæ hebdomadæ potissimùm convenientes. †

Prima

M 5 ☞ Hæ Regulæ ob subtilitatem & sublimitatem suam

suam, rerum spiritualium inexpertis interdum nocerent: & magis conveniunt iis, qui tentantur sub specie boni, quod iis solet contingere, qui in viâ illuminativâ potiùs versati sunt, sicut traditur Annot. 9. & 10. inter 20.]

PRima est, Quòd proprium est Dei, & Angeli cuiusque boni, † veram infundere spiritualem lætitiam animæ, quam movent, sublatâ tristitiâ & perturbatione omni, quam ingessit dæmon; cùm hic è contrario, sophisticis argumentis quibusdã, veri speciem præ se ferentibus, lætitiam illam in animâ repertã, oppugnare soleat. N

N § Vide Direct. Cap. 27. §. 5. ubi proprietates utriusq; spiritûs etiã breviter annotantur. & Suarez suprà N. 31. dicit id unum esse ex præcipuis functionibus Angelorum bonorum, dare bonas inspirationes suis clientibus.

SEcunda, Solius est Dei, consolari animam, nullâ præcedente consolationis causâ, cùm sit hoc proprium Creatoris, suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. Causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quidquam obiectum est, † O quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.

Ter-

O § ☞ Suarez supra N. 38. sic loquitur: *Motio immediatè in superiorem partem animæ, divinæ virtutis est propria; igitur ex illâ tamquam ex proprio effectu, cognoscetur motor divinus,* quod ibi probat.

Et N. 39. *Ad hoc dignoscendum, octavam* (fortè vult dicere secundam) *regulam posuit B. Ignatius his verbis: Solius Dei*

Dei eſt, &c. quorum verborum intelligentiam facilem eſſe nō exiſtimo. Nam - - - ſimilis conſolatio non poteſt fieri in nobis ſine causâ, ſaltem intellectu apprehensâ - - - ſi enim nihil obiectum eſt, quid amabit, aut de quo lætabitur? quomodo ergo poterit conſolari? & augetur difficultas, quia in hac vitâ non poteſt eſſe talis conſolatio, adeò intellectualis, quin aliquo modo participetur à ſenſu.

Et N. 40. *Hic diſcurſus oſtendit, difficile eſſe hanc motionem percipere, non eſt tamen dubium, quin poſſibilis ſit, & quòd aliquando detur, quamvis fortaſsè rarò, & nonniſi viris valdè perfectis, & ſpecialiter à Deo dilectis. Et quando talis motio reverâ datur ab Spiritu Sancto, ipſa ſe aliquo modo prodit, & oſtendit ſuam originem eſſe à Deo. Hoc autem non eſt, quia vel moveatur anima per affectum ſine aliquo obiecto cognito, nec quia intellectus humanus operetur ſine cooperatione phantaſiæ: primum enim fortaſſe omninò repugnat: ſecundum autem licet poſſit à Deo fieri, & interdum factum ſit, tamen eſt valdè extraordinarium, & miraculoſum, de quo genere elevationis nunc non agimus. Indicium ergò huius motionis eſt, ex parte quidem intellectûs, quia in eo fit aliqua apprehenſio, vel cognitio, quæ prout hîc & nunc in tali homine fit, non potuit per imaginationem excitari; vel eſt de obiecto nobiliori, quàm in ſenſum umquam aliquando ceciderit; vel quia fit tam ſubitò, vel cum tantâ intelligentiâ veritatis, ut ex vi phantaſmatum comparari non potuerit: ut v. g. ſi Gentili, qui numquam de Creatore cogitavit, ſubitò, & ſine diſcurſu ſeſe offerat, verum, & credendum eſſe aliquem ſupremum Auctorem, & ſentiat hanc cogitationem eſſe ità infixam menti, ut non poſſit illam removere, & cum illi ſtatim ſeſe offerant multa, quæ veritatem illam credibilem faciant, quæ numquam anteà homo cogitavit, nec per ſe erat ſufficiens ad invenienda illa: tunc ſignum ferè evidens eſt, Deum eſſe, qui in intellectu immediatè operatur. Simile, cum proportione eſt de fideli ſimplici, cui ſubitò offertur cognitio, de Deo Trino & Uno, vel de alio myſterio fidei, cum tali modo, & tam diſtinctâ repræſentatione veritatis, ut planè ſuperet capacitatem, vel diſcurſum eius. Hoc etiam maximè contingere poteſt in judiciis practicis de diligendo Deo, aut pœnitentiâ agē-*

 dâ,

da, perfectione sectandâ, aut similibus. Nam aliquando tam subitò & tam vehementer proponuntur menti, ut ferè apertè constet, non habere originē ab obiectis sensibilibus, & phātasmatibus, sed potiùs, si aliqua phantasia apprehensio tunc comitatur, à mentis cogitatione excitatam esse. Ex parte autem affectus indicium potissimùm sumendum est ex modo, quia nimirum licet operetur circa objectum cognitum, tamen vehementiùs movetur, quàm objectum ipsum, per se posset, aut soleat movere. ut v. g. si objectum, ut prosequendum proponatur, voluntas sentiat impetu, ac veluti necessitate quadam ad illud affici, saltem per simplicem affectum; vel maiori voluptate, & suavitate de illo cogitare, & ad illud inclinari, quàm soleat, vel quàm possit suâ industriâ quærere, vel comparare. Si autem obiectum proponatur ut fugiendum, vehementiùs terreat: & sic de aliis affectibus. quando enim hi affectus immediatè versantur circa superiora, & spiritualia bona, & per se honesta, & prædicto modo fiunt, signum est ab ipso Spiritu Sancto movente voluntatem immediatè fieri: quia nulla creatura habet tantam efficacitatem in humanam voluntatem. Et hæc omnia significavit P. Ignatius in illis ultimis verbis, quibus explicat nullam causam præcedere, quando nihil obiectum est, quod huiusmodi consolationem causare ex se possit.]

TErtia, Quoties præcessit consolationis causa, auctor ejus potest existere tàm malus Angelus, quàm bonus, sed ad fines tendunt contrarios; bonus quidem, vt anima in boni cognitione & operatione magis proficiat, malus autem, vt malè agat illa & pereat.

QVarta, Id moris est spiritui maligno, vt in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis pijs animæ votis, primùm obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas sanctasque hominis cogitationes sequi & fovere; at deinde in occultas fallacia-

rum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

QVinta, Sedulò & accuratè excutiendæ sunt cogitationes nostræ, circa principium, medium P & finem suum, † quæ tria si rectè se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs quærendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ quæ priùs aderat, quiete, pace, & tranquillitate: evidens tunc erit indicium, auctorem esse cognitionis eiusmodi, spiritum malignum, vtpote vtilitati nostræ semper adversantem. Sexta

P § ☞ Suarez illustrat hũc locum suprà N. 35. hoc modo: tria capita insinuantur *ad discernendos hos motus. Unum ex parte obiecti, seu materiæ --- Nam si sit peccatum aliquod, manifestum est, impulsum esse à Dæmone --- Si autem materia honesta sit, nõ statim constat motionem esse à bono spiritu --- quia --- bonum potest malè fieri, & ideò bonum aliquando suggeri à dæmone, quamvis non benè.*

Et N. 36. *Ideò necessarium est secundum caput, quod est consideratio finis, ad quem tendit impulsus, seu motio --- Si autem finis sit honestus, magnum indicium est boni spiritûs moventis, non tamen est sufficiens; tum quia, ut actio sit bona, non satis est finis bonus, nisi etiam materia, seu obiectũ, aut medium, ut propositum cum talibus circumstantiis, nec per se malum, nec prohibitum sit: tum etiam quia sub illâ specie boni potest non intendi bonum, sed impediri potiùs maior bonitas, seu perfectio. Ad hoc item caput reducuntur effectus talis cogitationis vel motionis. Nam finis, qui est primus in intentione, est effectus motionum, quæ ad illum ordinantur: & quam-*

quamvis interdum tales effectus ab ipso homine non intendantur, quia vel non præcognoscuntur, vel non quæruntur, saltem pro tali tempore: nihilominùs à bono, vel malo spiritu interiùs præmovente, sine dubio intenduntur, vel saltem prævidentur, ac præmittuntur: & ideò ex illis tamquam ex fructibus cognosci potest, qualis sit, qui moveat.

Et N. 37. *Tertium Caput est, modus motionis.* De hoc tertio capite dabuntur verba Suarez infrà ad reg. 7. lit. S.]

Sexta, Quoties contingit in aliquâ suggestione deprehendi hostem ex caudâ suâ serpētinâ, id est, fine malo, quem semper nobis insinuare studet; tunc plurimùm iuvat, revolvere discursum totum, & notare, † quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis, & quomodo præcedētem spiritualis gustûs suauitatem, animi serenitatem, sensim amovere, ac venenum suum infundere tentârit, ut per huiusmodi experimentum cognitæ illius fraudes, faciliùs deinceps caueantur.

Q. § Quamvis annot. 9. inter 20. dicatur subtilitas & sublimitas quædam inesse in hisce posterioribus Regulis, id tamen pro rudibus tantùm & rerum spiritualium inexpertis, ut ibi dicitur, intelligendum est. Nam illis, qui in viâ illuminativâ operam aliquam posuerunt, ac scilicet in contemplatione de duobus vexillis exercitati sunt, nequaquam regulæ hæ difficiles captu sunt. Imò qui juxta hanc regulam 6. animum sæpiùs reflectit & advertit ad technas & fraudes mali spiritûs, facilem harum regularum, & claram cognitionem acquiret.

Septima, eorum, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque spiritus diuerso modo: bonus quidem leniter, placidè, ac suaviter, sicut

aquæ

aquæ ſtilla in ſpongiam illabens; malus verò duriter, implacidè, & violenter, cum ſtrepitu quodam, ſicut imber decidens in petram; illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppoſitum prorſus uſuvenit. † Cuius ſanè diverſitatis ratio eſt, quatenus

R venit.

R. ſ Ut hæc, & reliqua, quæ in hiſce regulis, imò & in prioribus traduntur, clariùs perſpiciamus, juverit animum advertere ad meditationem de duobus vexillis, & ſequentia breviter notare.

1. Malus dæmon, dux impiorum, ſi ipſum contempleris horribilem figurâ, vultuq; terribilem; igneâ & fumosâ cathedrâ elatum, in campo confuſionis; facilè judicabis, quòd nil ab illo poſſit proficiſci, quod non ſit truculentum, perniciosũm, & exitiale.

2. Hunc crudelem ſpiritum plenè exerit in illos, qui jam ſunt damnati.

3. Apud illos autem qui etiamnum in hac vitâ ſub ejus vexillo militant, ne fortè deſerant ſua caſtra, conatur tegere, quantùm poteſt, inſitam ſibi ferociam, eoſq; ſtudet conſervare & lactare quibuſdam quaſi delicijs, quibus capti, periculum & perniciem ſuam non videant, aut minùs conſiderent.

4. Quia verò infeliciſſimus ille ſpiritus nullas veras delicias habet, Obijcit illis vanas, fallaces, breves, & fucatas, *carnis* ſcilicet, *ſenſuum*, *Divitiarum*, *honorum*, *&c.*

5. Has ipſas falſas delicias, ſolet interdum proponere etiam ijs, qui non ſunt ſub eius vexillo, conaturque illos ſic ad caſtra ſua allicere.

6. Eos verò qui reſpuunt ejuſmodi vanitates, militantes ſub vexillo Chriſti, aggreditur nonnumquam transfigurans ſe in Angelum lucis, & ſub ſpecie boni: ſicut is, qui rebellis ſit ſuo Regi, ſolet ſubditos Regi fideles ad ſua caſtra allicere ſub ſpecie obſequij ipſius Regis.

7. Si neque ſic poſſit illos à vexillo Chriſti abſtrahere, tunc terrores, minas, ſcrupulos, & quidquid poteſt molestia-

lestiarum illis immittit: idque duplicem ob causam. Prima est, quia credit, sibi post mortem in illos nullam fore potestatem. Altera est, quia sic saltem impedit maiora obsequia, quæ ab illis sub vexillo Christi possent præstari, si varijs eiusmodi terriculamentis non implicarentur.

Ex adverso optimus noster Imperator,

1. Totus est mitis, amabilis, & speciosus.

2. Hanc benignitatem plenè exerit in Beatos.

3. Quia vult, ut in hac vitâ mereamur illam beatitudinem, ideò permittit nobis arbitrij nostri libertatem.

4. Eis, qui sese vexillo illius addixerunt, solet dare stipendia verarum consolationum; postquam abstracti sunt à falsis mali ducis delicijs.

5. Hæ consolationes tamen non sunt perpetuæ. Sed ob culpam nostram, vel ad probationem, aliasúe ob causas, permittit nos affligi desolationibus, & tentari à maligno hoste. Non permittit tamen nos tentari supra id, quod possumus, sed per gratiam suam animos ac vires addit.

6. Eos, qui sunt sub vexillo Diaboli, solet veris terroribus movere, eorumque conscientiam pungere, ut resipiscant. Qui stimuli graves illis accidunt, quamdiu sanis monitis resistunt.

7. Ijs, qui sub vexillo CHRISTI sunt, solet suavis accidere vox omnis & inspiratio optimi Imperatoris.

Ex his colligere licet duo signa, apta ad discernendos spiritus.

Primum est, materia ipsa ad quam movent. Nam uterque spiritus movet & ducit ad contraria.

Alterum est modus, & quasi vox ac lingua, quâ utuntur, sive illabuntur in animum, quæ ex illorum tam dissimilli habitu, vultu, & aspectu haud difficulter dignoscitur. Considerandum tamen semper, quòd aliter alloquantur & tractent suos commilitones; aliter verò eos, qui hostes sunt, & sub alterius vexillo.

Neque hîc discrepamus à Suarez, qui, ut suprà vidimus, tria capita dignoscendi spiritus ponit: Nam duo prima capita ab ipso posita reduci possunt ad materiam, sicut cōsideranti patebit.

Duo tamen capita vel signa, prout nos illa posuimus, satis clarè videntur tradi in Regulâ 5. inter posteriores, ubi dicitur: *sin autem per discursum mentis, aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quàm anima priùs quærendo sequi decrevisset.* En primum signum dignoscendi spiritus ex *MATERIA. Vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublatâ, quæ priùs aderat, quiete, pace, & tranquillitate.* En secundum signum, ex *MODO* inspirationis sive motionis; quod secundum signum pleniùs in hac Regulâ 7. explicatur.

S nus Angelo utrilibet similis est vel dissimilis † animæ ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu & pulsu, qui facilè adverti queat, ei se coniungit. Si conformem verò, tamquàm in propriam & apertam domum subit cum quiete. Octa-

S § ☞ Dissimilitudo morum, conditionis, statûs. &c. Solet ad primũ præsertim congressum, aliquid timoris, anxiæ curæ, & perturbationis afferre. Atque hinc etiam peti potest ratio, cur apparitiones Beatorum spirituum, atq; adeò ipsius Christi post resurrectionem ad primum aspectum terrerent eos, qui ante resurrectionem ejus consuetudine suavissimè utebantur. Dissimilitudo videlicet est magna inter eos, qui sunt in patriâ cœlesti, & eos, qui sunt in hac mortali vitâ. Cætera verò simile, non agit in aliud simile; sed hoc, quasi sibi amicum, relinquit in pace & quiete.

De hac regulâ, quæ juxta nos complectitur secundum signum discernendi spiritus, vel juxta Suarez tertium caput, sic loquitur Suarez suprà n. 37.

Tertium caput est modus motionis. Nam - - - potest esse duplex, scilicet sensibilis, sive mediis sensibus externis, sive per internam motionem phantasmatis: vel omninò internus & spiritualis. Prior facilè cognosci potest, de quo consulendus Athanas. in vitâ S. Antonii, circa medium, apud Surium 17. Ian.

tamen ex illo præcisè non potest discerni, an sit à bono, vel malo spiritu. Quamvis autem hoc verum sit de iudicio certo & infallibili, tamen ex alio movendi modo, supponit optimam coniecturam B. Ignatius in posterioribus regulis de hac re, reg. 7. ----- ergo ait considerandam esse conditionem personæ, quæ movetur, --- -- quia dum homo resistit bono spiritui --- indiget reprehensione, & asperâ motione: tamen si ei obediat, meretur consolationem, & suavem promotionem: & è contrario dæmon in eum, qui crescit in bono, tamquam in hostem insurgit, & in contrarium duriter impellit; in eo verò, qui negligens est, quiescit --- quæ est optima coniectura, licet non infallibilis --- attamen non potest ab homine cognosci, an motio *illa sit immediatè à Deo, an mediante Angelo --- verumtamen si aliunde constet motionem esse à bono spiritu, ad morales actiones parùm refert,* hoc cognoscere.

Notandum, quòd Suarez hìc attingat duas divisiones motionis, prima est in sensibilem; & in omninò spiritualem: altera est in placidam; & in asperam. Prima divisio, quam aliis verbis exprimit, dum dividit in illam, quæ fit *immediatè à Deo,* & in illam quæ fit *mediante Angelo,* spectat magis ad Regulam secundam, ubi lit. O. dedimus de illâ doctrinam ipsius Suarez. Secunda divisio spectat propriè ad hanc 7. Regulam. In Regulâ tamen quartâ posset fortasse aliquis existimare, inveniri modum, qui hactenus explicatus non est: illum scilicet, quo malus spiritus nos infestat sub specie boni. Tunc enim, & materia, & modus movendi videtur esse bonus. Verùm potest uterq; spiritus per plures vias nos movere, sic tamen ut omnes illæ motiones discerni possint per duo signa, quæ tradidimus; vel per tria capita, prout traduntur à Suarez. id quod satis patet ex *Reg.* 5. sequente, in quâ docemur, quòd quando sub specie boni nos infestat malus spiritus, debeamus considerare principium, medium, & finem istius motionis; quæ tria examinãda sunt ad duo illa signa, quæ tradidimus ad discernẽdos spiritus, ut ibi pluribus explicatur, & nos suprà ostendimus lit. R.]

Octava, Quoties sine præviâ vllâ causâ consolatio nobis adest, quamuis ei, tamquàm divinitùs immissæ

missæ, vt suprà dictum est, nihil fallaciæ subesse possit; debemus tamen attentè ac sollicitè distinguere præsens consolationis tempus à proximo sequente, in quo anima fervet adhuc, & fauoris diuini nuper accepti sentit reliquias. Nam posteriore hoc tempore, frequenter accidit, vt vel ex habitu, discursu, & iudicio proprio, vel ex boni aut mali spi- T ritûs † instinctu, aliqua sẽtiamus, vel deliberemus, quæ cùm ab ipso Deo, citra medium non emanẽt, solerti indigent discussione, priusquàm recipiant assensum, vel in opus veniant. *Regulæ*

T § ☞ Concludam has regulas verbis Suarez suprà N. 41. ubi sic ait: *Spiritus - - - vocari possunt vel spirituales motiones, quæ in animâ hominis fiunt, vel spirituales substãtiæ à quibus illæ motiones fiunt - - - Etiam cõstat meritò tradi nobis rationem aliquam, & viam discernendi hos spiritus. Nã licet evidenter, aut cum certitudine fidei diiudicari non possint sine Dei revelatione: nihilominus valdè probabili conjecturâ, & interdum moraliter certâ potest de illis iudicium ferri - - - Ad illud maximè deservire possunt regulæ - - - illæ, quæ traduntur ab Ignatio. Nam si quis eas rectè consideret, inveniret omnes revocari ad illa tria capita, quæ in N. 35. proposuimus - - - - quamvis autem generales regulæ, & indicia designentur, non tamen omnibus concessum est eis uti, aut per illas iudicare: sed requirit aut speciale Dei donum, aut sapientem, & in rebus spiritualibus valde exercitatum virum, ut rectè dixit Gerson Tract. de probatione spirituum Alphab. 17. lit. R. qui etiam videri potest in tractatu de distinctione verarum visionum à falsis, Alphab. 17. in fine, ubi quinque signa adducit, quæ in his, quæ diximus, & in documentis B. Ignatij continentur. Rectè etiam de hac materiâ loquitur in centilogio de impulsibus decade 3. & sequentibus Alphab. 63. lit. I. & in Tomo 4 habet tractatum, de signis bonis & malis Alphab. 17. lit. B - - - - optimè etiam Bonaventura de processu relig. C. 18.*]

Regulæ nonnullæ, in distribuendis eleemosynis servandæ. †

A §. Hæ Regulæ non erunt observatu difficiles illi, qui assecutus est tertium gradum Humilitatis. Sed de his vide Direct. cap. 38. §. 1. & 2.

Valde utiles sunt hæ Regulæ ijs qui sese abdicare volunt suis fortunis, ut Evangelica consilia sequantur.

PRima, Si quid erogare libeat in homines genere vel amicitiâ coniunctos, erga quos sentitur proclivior affectus; attendendæ erunt regulæ quatuor, † quas ex parte, circa electiones commemoravimus. Earum itaque prima hæc est, vt affectus erga tales meus, rectà proveniat ex amore Dei, quem certè amorem debeo sentire in me, vt radicem esse & causam cuiuscumque meæ affectionis erga cognatos & amicos omnes, ac operam dare, ut in hoc præsenti negotio præcipua ea ratio elucescat.

B §. Hæ quatuor primæ Regulæ prorsus eædem sunt, & similes quatuor Regulis traditis in posteriore modo benè eligendi.

SEcunda, Vt * considerem, siquis alter, † cui parem mecum statum, seu perfectionis gradum optem, me consulat super negotio istiusmodi, quam ego illi erogationis faciendæ dictaturus sim rationem. Hac igitur & me vti par est. Tertia

C §. Ex authographo sic legitur: *Ut considerem, si quis alter esset mihi planè ignotus, cui tamen pro hoc ministerio, & ipsius statu omnē perfectionis gradum exoptem*

exoptem, quam ego illum in hac distributione rationem sequi vellem ad Maiorem Dei Gloriam, & animæ suæ perfectionem; hac ipsâ eâdem mihi utendum esse.

Annotavimus ad Regulas posterioris modi Eligendi, ideò fortassis poni hominem ignotum, ne erga ipsum immisceatur aliquis affectus, qui non proficiscatur ex solius Dei amore, sicut ibi pluribus explicuimus.

De his Regulis Suarez To. 4. de Relig. Tr. 10. lib. 9. cap. 7. n. 6. pronuntiat *documenta, quæ in eis traduntur, generalia videri, ad quodcumque opus rectè faciendum, - - - duo autem principia sunt,* inquit, *quibus potissimùm utitur B. Ignatius in hoc opere - - - Unum est, ut intentio operantis sit pura & perfecta - - - Alterum principium,* ut dicit n. 7. *est, supposità prædictâ intentione, habere animum indifferentem ad media - - - quæ doctrina, si ad alias materias cum proportione accommodetur, utilissima erit, ad eas non solùm honestè, sed etiam perfectè exercendas.*

TErtia, Vt cogitem, si mihi vitæ nunc exitus instaret, quid in hac re egisse vellem potissimùm. Ita ergo agendum in præsentiâ decernam.

QVarta, vt prospiciam similiter, quid mallem in die iudicij à me fuisse super his transactum. Id quod & nunc citra dubium præeligam.

QVinta, vt quoties ad personas, mihi humano aliquo vinculo coniunctas, affectum meum sentio magis inclinare, regulas quatuor prædictas sedulò expédam, & iuxta eas examinem affectum; nihil de eleëmosynâ, seu distributione faciendâ cogitans, donec ab animo, D † si quid non rectum inest, removero. Sexta

D § Ex hac Regulâ discimus 1. Non esse progrediendum ad Electionem, quamdiu animus non est indifferens; nec

nec benè præparatus aut dispositus, vel quamdiu manet aliquo affectu non satis ordinato occupatus. Hoc ipsum S. P. N. Annot. 16. inter 20. & in præludio ad Electionem, & alibi satis indicat. Et Directorium cap. 23. §. 3. notat, quòd ex illo inordinato affectu *facilè fieret, ut existimaret illam esse Dei voluntatem, quæ est ipsius voluntas.* Quapropter monet tractationem de Electione tunc relinquendam, & procedendum potiùs ad alia Exercitia.

Discimus 2. modum, quo possimus affectum illum purgare, & ad Deum ordinare, explorando ad Regulas quatuor prædictas illum ipsum affectum; nihil interim cogitando vel statuendo circa rem, de quâ fieri debet deliberatio; sed deliberationem differendo in tempus, quo animus rectè erit ordinatus. Explicat hoc pluribus S. P. N. Annot. 16. inter 20. ubi dicit: quòd *tunc affectus ad oppositum impelli debet, per assiduas orationes & alia exercitia pia, in quibus à Clementiâ Dei oppositum petatur: videlicet hunc ut ille animum offerat ipsi Deo, se tale officium vel beneficium, aut aliud quidvis* (quale est donatio consanguineis) *iam non appetere, nisi priorem affectum adeò mutaverit, ut nihil iam omninò desideret, vel possideat,* aut facere velit, *aliâ ex causâ, quàm Divini cultûs & honoris.* Huic annotationi planè consonat NOTANDUM, quod ponitur post meditationem de tribus hominum classibus, cuius explanationem vide ibi suprà.

Huc etiam spectant verba illa, in Introductione ad eligendarum rerum notitiam, puncto 3. ubi dicitur, quòd vocatio Dei *semper pura, & clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.*

Non solùm affectus ad consanguineos; sed affectus quoque ad alios homines, ad locum item & habitationem; ad officium & occupationem; ad rem deniqùe quamlibet potest per Regulas illas quatuor purgari à vitijs, ob quæ impeditur obsequium Dei,

1. Videlicet scrutanda est radix, & causa affectionis eiusmodi; *an rectà proveniat ex amore Dei?*

2. Considerandum, an in altero, cui perfectionem omnem opto, affectum talem corrigendum non censerem?

3. Cogi-

3. Cogitandum, quando mors imminebit, an non aliam in hoc affectu regulam vellem me fuisse secutum?

4. Prospiciam, an hic affectus tam purus sit, ut in die judicii nihil vanitatis in eo reperiendum sit?

Hisce Regulis subnectam orationes juxta Annot. 16. inter 20. & offeram Deo affectum, quàm potero, purissimum, iuxta id, quod annotatur in posteriore modo eligendi.

Atq; ita absq; ulteriore deliberatione, purgare possumus affectus nostros, nosq; idoneos reddere ad electiones deinceps rectè concludendas, quæ non rarò præ pravo affectu, fiunt perversè.

SExta, quamvis facultates divino cultui, & usui Ecclesiastico dicatæ, citra culpam assumi possint distribuendæ ab eo, qui ad hoc ministerium sit vocatus; cùm tamen plurimis, in determinãdâ propriis suis sumptibus iustâ portione, soleat de excessu scrupulus incidere, operæ pretium est iuxta regulas superiores, vitæ suæ statum rectè disponere.

SEptima, Propter rationes dictas, & alias plerasque in administrandis iis, quæ ad propriam personam, conditionem, domum, aut familiam † pertinent; optimum ac securissimũ est unicuique, distributionis curam subeunti, vt suæ subtrahat commodi.

E

E § Ex hac & præcedenti Regulâ iterum patet materiam Electionum non tantùm tradi debere ijs, qui statum non habent; sed etiam aliis qui statum habent; quando scilicet satis capaces sunt. Nam circa *propriam personam, conditionem, domum & familiam,* sicut de Eleëmosynis, sic de multis aliis rebus deliberari potest: & in his Regulis est species quædã Electionis, sicut quatuor primæ indicant: neq; est, cur prior eligendi modus, qui ponitur pro tertio Electionis tempore, aliaq; tempora, & cætera, quæ ad electionẽ spectant etiam in

am in similibus particularibus deliberationibus non adhibeantur.

F § Non abs re erit legere regulam 4. de victu temperando, suprà in fine hebdom. 3. ubi dicitur, quòd per similem subtractionẽ faciliùs inveniatur voluntas Dei.

moditati quantum potest; † ac se ipsum proximè conformet, ad exemplar Domini nostri IESV Christi summi Pontificis: quandoquidem in tertio etiam Carthaginensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus, decretum fuit, supellectilem Episcopi, vilẽ ac pauperẽ debere esse. Hoc idem in quolibet statu seu vitæ genere prouideri convenit, habitâ interim ratione personarum, & statuũ ipsorum: sicut in matrimonio exemplum præbent S. Ioachimus & S. Anna, qui divisis per annos singulos facultatibus suis in tres partes, pauperibus unam erogabant, alteram dicabant in templi & divini cultûs ministerium, & tertiã postremò necessitati suæ reservabant.

Quædam notatu digna de scrupulis, † A quos animæ dæmon iniicit, dignoscendis.

A § De his etiam vide Directorium Cap. 38. §. 1. & 2.

PRIMVM, Vulgò scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrij motu & iudicio, aliquid concludimus peccatum esse, cùm peccatum non sit, veluti si quis animadvertens se crucem, ex

paleis

paleis humi figuratam, in transitu calcâsse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus propriè, sed iudicium potiùs erroneum vocari debet.

SEcundum, Scrupulus propriè dicendus est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecùs, peccati admissi suspicio. Et quamvis alterâ ex parte veniat in mentem, nos minimè peccâsse; ambiguitatem tamen quamdam, atque animi perturbationem sentimus, à dæmone videlicet obtrusam.

TErtium, Prior scrupuli species, impropriè sic dicti, prorsus abhorrenda est vt erroris plena. Posterior verò, per tempus aliquod † (dum præsertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem, non parùm iuvat, cùm eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud Divi Gregorij: *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.*

B † Sicut legitur in vitâ S. P. Nostri, quòd ad tempus aliquod, dum recens erat vitæ melioris ipsius institutio, eiusmodi scrupulis fuerit exagitatus. Nocere verò solent, quando diu durant, & illis firmiùs inhæretur.

QVartum, Callidè observare solet inimicus, qualisnam sit animæ cuiusvis conscientia, crassiórne an delicatior. Et si quam invenit delicatam, multò quoque delicatiorem efficere nititur, & in

extremum quemdam redigere anxietatis gradum,† C vt sic miserè turbatam, à profectu spirituali tandem deijciat.

C § Hæc, quæ totâ hac notatione traduntur, conformia sunt Regulis de discernendis spiritibus, ijsq; quæ explanavimus ad Reg. 7. ex posterioribus.

Tractat hunc locum de scrupulis Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 7. N. 3. ubi exponit, an & quomodo B. Ignatius egerit etiam de scrupulis circa præterita, an ritè sint confessa: contra quos duo remedia ponit ex Gersone. Nam B. Ignatius potissimùm agit de scrupulis circa Præsentia & futura, sicut ibidem observat Suarez.

Puta si animam noverit, quæ peccato nulli consentiat, mortali, sive veniali, imò ne umbram quidem (vt sic dicamus) voluntarij peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obijcere, eo satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod reverà non est, cujusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatiunculâ repentinâ. Crassam è diverso animam, seu conscientiam, reddere crassiorem studet, ut quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parùm curet, ac in dies minùs respiciat.

QVintum, Vt anima progredi valeat in viâ spirituali, ad illius partis oppositum tendat necessè est, in quam inimicus tentat pertrahere: vt si laxiorem iste consciẽtiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contrà, si dæmon nimiùm velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremæ vtriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto & securo statu iugiter manere.

SExta, Quotiescumque homini, dicere aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ vsu, vel maiorum nostrorum sensu non dissonat, quodque tendit in Dei gloriam, obviat extrinsecùs suggestio dissuadens, ne dicat aut agat illud propositum, adducta vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucatâ quadam ratione; tunc ad Deum elevanda mens est: sique appareat, ad eius gloriam spectare dictum aut factum eiusmodi, vel certè contrarium non esse, tendendum rectà erit adversùs talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum Divo Bernardo: *Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.*

A *Regulæ aliquot servandæ, ut cum orthodoxâ Ecclesiâ † verè sentiamus.*

A § Satis erit has diligenter legere, & de iisdem videre Directorium Cap. 38. §. 1. & 3. ubi notatur, quòd illæ Regulæ, pugnent directè contra sensa & dicta Hæreticorum nostri temporis, & quòd aptæ sint operariis & concionatoribus: quibus sanè optandum esset, ut sint familiares.

PRima, Sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus, ad obediendum veræ Christi sponsæ, ac sanctæ Matri nostræ, quæ est orthodoxa, catholica, & hierarchica Ecclesia.

SEcunda, laudare convenit solitam fieri Sacerdoti confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sacræ sumptionem annuam ut minimùm, cùm sit

B § Ex hac Regulâ est desumpta regula *10.* Concionatorum nostrorũ, qui *commendare debent Confessionis & Eucharistiæ frequẽtem usum.* Ideoq; hæc regula, ibi citatur ad Reg. *10.* Concion. in Edit. Antverp. Anni 1635. & citantur aliæ ex his ibidem ad alias.

laudabilius, † octavo quoque die, aut semel saltem in mense quolibet, servatis interim conditionibus debitis, Sacramẽtum ipsum suscipere.

TErtia, commendare Christi fidelibus, vt frequenter ac devotè Missæ sacrum seu sacrificium audiant. Item cantus Ecclesiasticos, † psalmos, & prolixas preces in templis, vel extra templa recitandas: tempora etiam probare, determinata officiis divinis & precationibus quibuscumque, ut sunt quas vocamus horas canonicas.

C § Huc & ad sequentes plures regulas, spectant verba illa regulæ 10. Concionatorum, quòd debeant commendare *Ecclesiasticarum cærimoniarum observationem, & cætera, quæ ad cultum divinum pertinent.*

QVarta, laudare plurimùm religionum status, atque cælibatum, seu virginitatem matrimonio præferre. †

D § Quæ in hac & in 5. Regulâ ponuntur, congrua sunt ijs, quæ S. P. N. habet Annot. 14. & 15. inter 20.

QVinta, comprobare vota religiosorum de servandâ castitate, paupertate, obedientiâque perpetuâ, cum alijs perfectionis, & supererogationis

operi-

operibus. Vbi obiter notandum est, quòd cùm voti ratio ad ea pertineat, quæ ad perfectionem ducunt vitæ Christianæ; de alijs, quæ ab ipsâ perfectione potiùs avertunt, ut de negotiatione, vel matrimonio, votum numquam emittendum sit.

SExta, Laudare prætereà reliquias, venerationem & invocationem Sanctorum. Item stationes, peregrinationesq; pias, indulgentias, iubilæa, candelas in templis accendi solitas, & reliqua huiusmodi pietatis ac devotionis nostræ adminicula.

SEptima, Extollere abstinentiæ ac iejuniorum usum, ut quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, sextæ feriæ, sabbati, aliorumque pro devotione susceptorum. Item spontaneas afflictio-
E nes sui, quas pœnitentias † dicimus, non internas solùm, sed etiam externas.

E § Ad hanc Regulam respicit regula 11. Concionatorum, quâ jubentur *pœnitentiæ, & misericordiæ opera* commendare.

OCtava, Laudare insuper templorum extructiones, atque ornamenta, nec non imagines, tamquam propter id quod repræsentant, iure optimo venerandas.

NOna, Confirmare maximè omnia Ecclesiæ Præ-
F cepta: † nec impugnare vllo modo: sed contra impugnantes quæsitis undiq; rationibus promptè defendere

Deci-

F § De Ecclesiæ præceptis agit S. P. N. suprà in Examine conscientiæ generali, titulo, *De opere.*

DEcima, Patrum etiam, seu superiorum decreta, † mandata, traditiones, ritus, & mores studiosè probare. Licet autem non reperiatur vbique ea, quæ deberet esse, morum integritas; si quis tamen, vel in publicâ cōcione, vel in populari commercio, † ipsis obloquitur, generat potiùs damna & scandala, quàm aliquid afferat remedij aut utilitatis, cùm nihil aliud sequatur, nisi exasperatio & obtrectatio populi adversùs Principes ac Pastores suos. Temperandum est igitur ab isto invectivarum genere. Verumtamen, sicut damnosum est, primates ipsos absentes, apud populum allatrare, atque proscindere: ità rursus privatim admonere eos, qui si velint, mederi huic malo possunt, operæ pretium videtur fore.

G § De his similiter agit S. P. N. in Exam: Gen. *De opere.*

H § Hinc patet, quàm meritò doceamur in Directorio, has regulas aptas esse operarijs, & Cōcionatoribus. Nam hîc S. P. N. non tantùm loquitur de Concionatoribus, ne *in publicâ Concione*, sed etiam de alijs, ne in *populari commercio* Principibus & Pastoribus suis obloquantur, propter damna & scandala inde provenientia: traditq; privatim potiùs monendos esse. Huic Regulæ similia habent Concionatores in reg. suâ 12. & 13. ubi vetatur etiam, ne reprehendantur alij Regulares, aut aliquis de Societate, in domesticis nominatim Concionibus.

VNdecima, Doctrinam sacram plurimi facere, tum eam, quæ Positiva dici solet, tum, quæ Scholastica. Sicut enim Sanctis Doctoribus antiquis

quis Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, & conſimilibus, ſcopus fuit, ad amorem & cultum Dei amplectendum, animos movere; ita peculiare eſt B. Thomæ, Bonaventuræ, Magiſtro Sententiarum, & alijs recentioribus Theologis, dogmata ad ſalutem neceſſaria exactiùs tradere, atque definire, prout convenit ſuis temporibus, & poſteris, ad erro-
I res hæreſum † confutandos. Siquidem Doctores huiusmodi, vt ſunt tempore poſteriores, non ſolùm Scripturæ ſacræ intelligentiâ præditi ſunt, & veterum auctorum iuvantur ſcriptis; ſed etiam cum influxu divini luminis, conciliorum ſanctionibus, decretis, & varijs Eccleſiæ ſanctæ conſtitutionibus, ad ſalutis noſtræ ſubſidium feliciter vtuntur.

I ſ ☞ Videmus ſanè Theologiam Scholaſticam Hæreticis odio eſſe.]

DVodecima, Culpabilis eſt ac vitanda hominum, qui adhuc in terris vivunt, (quantumvis laudabilium) comparatio cum Sanctis & Beatis, dicendo: Iſte eſt doctior S. Auguſtino: Ille eſt alter S. Franciſcus: Æqualis eſt Paulo ſanctitate, aut aliquâ virtute, non eſt inferior, &c.

DEcima tertia, Deniq; vt ipſi Eccleſiæ Catholicæ omninò unanimes, conformesq; ſimus, ſi quid, quod oculis noſtris, apparet album, nigrum illa eſſe definierit, debemus itidem, quòd nigrum ſit, pronunciare. Indubitatè namque credendum eſt, eumdem eſſe Domini noſtri Iesu Chriſti, & Eccleſiæ orthodoxæ, ſponſæ eius, ſpiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad ſalutem: neque alium

esse Deum, qui olim tradidit Decalogi præcepta, & qui nunc temporis Ecclesiam hierarchicam instruit atque regit.

DEcima quarta, Advertendum quoque est, quãquàm verissimum sit, nemini contingere salutem, nisi prædestinato; circumspectè tamen super hoc loquendum esse, ne fortè gratiam seu prædestinationem † Dei nimis extendentes, liberi arbitrij vires, & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è converso, ne plus æquo hisce tribuentes, illis interim derogemus. K

K § In Regulâ hac & tribus sequẽtibus tradũtur monita sapientissima, quomodò tam in privatis cõgressibus, quàm in Concionibus loquendum sit de Prædestinatione, fide, gratia, & libero arbitrio. Ad has Regulas potest reduci. Regula Concionatorum 9. ubi præscribitur, ut *ea populo proponant, quæ ad captum, & utilitatem auditorum erunt accommodata - - - - - - & à rerum subtilium curiosâ tractatione se abstineant.* Item Regula 19. ubi modus traditur, quo Concionatores tractare debeant difficiliores quæstiones, ne populo noceant.

☞ De his regulis, aliisque locis libelli Exercitiorum sic loquitur Suarez To. 4. de Rel. Tr. 10. lib. 9. Cap. 5. N. 43 *hanc difficultatem propono, non quia loca citata difficilia sint, sed ut occasionem sumam advertendi zelum, quem nunc habet Societas rectè explicandi concordiam gratiæ cum libero arbitrio, & convenienter loquendi, & accommodatè ad resistendum Luthero, aliisque huius temporis hæreticis, eumdem fuisse in P. Nostro Ignatio, & vel ab illo in Societatem manâsse, vel eumdem spiritum, qui hanc Religionem movet, ad resistendum hæreticis hujus esse doctrinæ auctorem.* vide plura ibidem.]

DEcima quinta, Similem ob causam frequens de prædestinatione sermo habendus non est: sique incidat nonnumquàm, ità temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occasio erroris, ac dicendi: si de salute meâ, vel damnatione iam definitum est, sivè malè, sive benè agam, aliter evenire non potest: unde solent multi opera bona negligere, & alia subsidia salutis.

DEcima sexta, Accidit etiam non rarò, vt ex immodicâ fidei prædicatione & laude, adiectâ distinctione aut explicatione nullâ, ansam arripiat populus, torpescendi circa bona quælibet opera, quæ fidem præeunt aut sequuntur charitatis nexu efformatam.

DEcima septima, Neque itidem prædicandæ & inculcandæ gratiæ Dei usque adeò insistendum fuerit, ut serpere inde possit auditorum animis lethalis error, negatâ liberi arbitrij nostri facultate. De gratiâ ergo ipsa diffusè quidem loqui fas est, Deo aspirante, sed quatenus in gloriam eius vberiorem redundat, idque iuxta modum convenientem, nostris præsertim temporibus, tam periculosis; ne & liberi arbitrij vsus, & operum bonorum efficacia tollatur.

DEcima octava, Quamvis summè laudabile sit atque utile, ex dilectione purâ inservire Deo, nihilominùs tamen valde commendandus est Majestatis divinæ timor. Neque porrò is timor so

 lùm,

lùm, quem filialem appellamus, qui pius est ac sanctus maximè, verùm etiam alter, servilis dictus. Quippe qui homini vtilis est admodùm, & sæpenumerò necessarius, vt à mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere promptè studeamus: à quo, dum erimus immunes atque alieni, faciliùs patebit ascensus ad timorem illum filialem Deo penitùs acceptum, qui nobis cum ipso Deo vnionem amoris præstat & conservat.

Quæ ab aliis impressis Exercitiorum exemplis variant, ex vtroque nostro exemplari manuscripto: In mysteriis autem vitæ Christi, etiam ex editione vulgatâ, emendata sunt.

Loca quæ ex diligenti cum Hispanico autographo collatione adnotata sunt in hac postremâ editione.

EA Patrum deputatio, quæ in V. Generali Congregatione pro recognoscendo Directorio Exercitiorum instituta fuit, illud in primis proposuit, vt antequam liber Exercitiorum denuò imprimeretur, cum Hispanico autographo, qui Romæ servatur, diligenter conferretur, non vt nova quædam versio fieret, sed vt loca

quædam

quædam accommodarentur, quæ in vulgatâ Latinâ editione subobscura videbantur. Quod cùm R. P. N. fieri mandâsset, factâ diligenti collatione, compertum est, Latinam editionem in paucis ab autographo discrepare. Iis igitur prætermissis, quæ parvi momenti esse videbantur, ea tantùm loca adnotari placuit, in quibus sensus subobscurus censebatur, vel certè clarior hac novâ versione reddi poterat. Quæ omnia cùm essent à R. P. N. cum Patribus Assistentibus diligenter examinata, ne vulgata editio, ob reverentiam, quæ illi meritò debetur, mutari videretur, satiùs visum est, si in fine Exercitiorum loca omnia, quæ sunt adnotata, ponerentur stellulis quibusdam signata, quæ locis, in quibus facta est mutatio, responderent, ut faciliùs, quæ in postremâ hac editione fuerunt accommodata, reperiri à quolibet possent. Hic autem labor, vt speramus, maiorem quamdam lucem afferet iis, qui Exercitia tractant, omnibusq́; Societatis nostræ hominibus, qui Exercitiorum usum habere debent frequentissimum, non erit iniucundus. Romæ 25. Iunii. M. D. XCVI.

Mandato R. P. N. Generalis.

IACOBUS DOMINICUS

Secretarius.

IN ANNOTATIONIBVS XX.

Quæ ſunt in principio Exercitiorum.

PAginâ 18. *Annotatione quartâ in fine, vbi dicitur :* * *a* Expedit nonnumquàm ſuccidi hebdomadam. *Senſus erit clarior ſi legatur:* Contrahi hebdomadam.

Pag. 20. *Annotatione octavâ, ubi dicitur* * *b* In prioribus duabus hebdomadis. *lege:* Prò prioribus duabus hebdomadis.

Pag. 20. *Annotatione decimâ in fine, vbi habetur:* * *c* Atque per Exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur. *Lege:* Atque Exercitijs primæ hebdomadæ reſpondet.

Pag. 25. *Annotatio decima ſeptima ità poni debet:* * *d* Decima ſeptima. Perutile eſt, vt qui tradit Exercitia, quamvis inquirere, ac ſcire non intendat proprias alterius cogitationes & peccata; certior tamen fideliter fiat de varijs agitationibus & cogitationibus, quas varij ſpiritus immittunt. Perſpecto enim maiori, aut minori ejus profectu, nonnulla ſpiritualia Exercitia præſcribere illi poteſt, præſenti animæ neceſſitati opportuna.

In Fundamento.

PAg. 34. *Vbi dicitur:* * *e* Prout libertati arbitrii noſtri ſubiectæ ſunt, & non prohibitæ. *clariùs ex autographo dicatur :* Prout libertati arbitrij noſtri permiſſum eſt, & non prohibitum. Pag.

Pag. eâdem. *Circa finem fundamenti, vbi habetur:* * *f* Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac desiderare. *dicatur:* Sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quæ ad finem, cuius gratiâ conditi sumus, nos ducunt, eligere ac desiderare.

In V. Exercitio primæ hebdomadæ.

PAg. 58. *In primo puncto:* * *g* Et animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis inclusas. *dicatur:* Et animas velut igneis quibusdam corporibus, tamquàm ergastulis, inclusas.

In Additionibus.

PAg. 62. *In primâ Additione, vbi dicitur.* * *h* Cogitem de hora, quâ surgendum mihi erit, & de Exercitio faciendo. *Ex autographo dicatur:* Cogitem de horâ, quâ surgendum mihi erit, Exercitij faciendi puncta breviter animo retractans.

In Meditatione secundæ diei in secundâ hebdomadâ.

PAg. 82. *In primo puncto:* * *i* Inter quos me adesse fingam, tanquàm pauperculum, eorum vtcumque necessitatibus, &c. *addatur ex autographo:* Inter quos me adesse fingam, tamquàm pauperculum, & servulum indignum, eos spectantem, contemplãtem, & eorum necessitatibus cum reverentiâ maximâ famulantem.

In quin-

In quintâ contemplatione.

PAg. 91. *In tertio puncto:* * *k* Dulcedo animæ, divinis donis, &c. *Legatur:* Dulcedo divinitatis, animæ, eiusque virtutum, ac ceterorum omnium iuxta rationem, &c.

In quinque Notandis.

PAg. 92. *In tertio:* * *l* Superadditâ circa veſperas vnâ repetitione, & ſenſuum applicatione ante cœnam. *Ex autographo:* Superadditâ circa veſperas uná repetitione, & poſteà ſenſuum applicatione ante cœnam.

In ſecundâ die.

PAg. 95. * *m* Et fuga in Ægyptum. *Additur ex autographo:* Et fuga eiusdem veluti exulantis in Ægyptum.

In prælúdio poſt contemplationem tertiæ diei.

PAg. 96. *Quod ibi dicitur de diſtinctione duplicis ſtatûs, clariùs ità ponetur ex autographo:* * *n* Cùm ſuprà propoſitum fuerit exemplum Chriſti de vitæ genere, quod in mandatorum Dei obſervatione conſiſtit, dum parentibus ſuis fuiſſe ſubditus memoratur, & primus, ſeu cõmunis ſtatus appellatur. Nunc idem ipſe Dominus formam videtur exhibere alterius, ſeu ſecundi ſtatûs perfectionem Evangelicam afferentis, quando videlicet in templum ſe contulit, &c.

In Meditatione quartæ diei de tribus hominum classibus.

PAg. 105. *In fine primi Præludij*: * *o* Sublato vtcumque noxio affectu rerum, vtpote salutis impedimento. *Legatur*: Sublato utcumque noxio affectu rei partæ, utpote, &c.

Pag. 106. *In primâ Classe*: * *p* Debitaque adminicula toto vitæ tẽpore non admovet. *Ex autographo*: Debitaque adminicula usque ad horam mortis non admovet.

Pag. 107. *In tertiâ*: * *q* Ac, interim omnia relinquens integra, &c. *vsque ad finem. Ita ex autographo verti potest clariùs*: Ac interim ità se gerit, vt qui omnia in affectu reliquerit, enitendo scilicet, neque hoc, neque aliud quippiam expetere, nisi quantum divini obsequij intuitus moveret; ita ut non aliam admittat relinquendæ, aut retinendæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium meliùs Deo Domino nostro serviendi.

Pag 107. *In Notando*: * *r* Servabimus tamen intereà; &c. *usque ad finem In autographo sic habetur*: Atque hoc ipsum optare, petere, & flagitare, spectato solùm obsequio & gloriâ divinæ ipsius bonitatis.

In secundo Notando post duodecimam Meditationem.

PAg. 111. *Secundò*: * *s* Quòd inchoanda est, &c. *usq; ad finem. Omnis dubitãdi ratio tollitur, si ita vertatur*

tatur ex autographo: Secundò, quòd inchoāda eſt electionum diſcuſſio à contemplatione diſceſsûs Chriſti ex Nazareth Iordanem versùs incluſivè, quæ fit quinto die, ut in ſequentibus declaratur.

In modo ſecundo benè eligendi.

PAg. 134. *In ſecundâ Regulâ.* * *t* Secunda, eſt conſiderare, &c. *vſque ad finem. Clariùs ita verti poteſt ex autographo:* Secunda eſt conſiderare, ſi quis mihi vir anteà ignotus, & numquam planè viſus, cui tamen nihil non perfectionis ineſſe cupiam, occurreret dubius ſuper electione huiuſmodi, quidnam ego illi faciendum & eligendum ad maiorem Dei gloriam, & maiorem animæ illius perfectionem eſſem conſulturus: quo animaduerſo, id mihi agendum ducam, quod alteri ſuaderem.

In tertiâ hebdomadâ.

PAg. 138. *In titulo primæ Contemplationis:* * *u* Prima contemplatio fit in mediâ nocte, &c. *addatur ex autographo:* Prima contemplatio de Chriſti Domini noſtri profectione à Bethaniâ in Hieruſalem, & de geſtis uſque ad ultimam cœnam incluſivè, fit mediâ nocte, & continet orationem præparatoriam.

Pag. 139. *In quarto puncto:* * *x* Quartum, advertere, quid iam inde, &c. *ita vertendum ex autographo:* Quartum, advertere quid Chriſtus Dominus noſter in humanitate patiatur, aut pati appetat, iuxta punctum, quod meditandum ſuſcipitur: vnde in-

de incipiam & ipse maximo conatu dolorem, mœstitiam, & fletum mihi excitare: idemque curabo in subsequentibus punctis.

In 1. Contemplatione 4. hebdomadæ.

PAg. 155. *In primo Præludio:* * y Sepulto corpore. *Ex autographo habetur:* Corpore ab animâ separato, *vox enim illa* (sepulto) *non est, neque cohæret cum aliis.*

Pag 156. *In quarto puncto:* * z Quomodò Christi divinitas passionis & mortis tempore abscondita. *In autographo habetur:* Quomodò Christi divinitas, quæ passionis tempore videbatur abscondita, &c.

In Contemplatione ad acquirendum amorem.

PAg. 163. *In tertio puncto, post illa verba:* * a a Laborantem quodammodò. *addantur hæc ex autographo:* Vt in cælis, elementis plantis, frugibus, & animantibus, quatenus dat, &c.

De Conversione Magdalenæ.

PAg. 203. *In autographo non habentur verba illa:* * *b b* Siue Maria Magdalena soror Marthæ fuerit, siue alia.

In 5. Regulâ de discretione spirituum.

PAg. 237. *Verba illa:* * *c c* Quemadmodum enim dum fruitur quis, *vsque ad finem. Ita commodiùs*

verti possunt ex autographo: Quemadmodùm enim in consolatione bonus spiritus nos magis regit ac dirigit, ita in desolatione malus, cuius instigatione & consiliis nihil rectum decernere possumus.

In 7. Regulâ de discretione spirituum.

PAg. 238 *Circa medium*: * *d d* Assistente nobis iugiter præsidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur. *In autographo sic habetur*: Assistente nobis præsidio diuino, quod semper manet, licet tunc nequaquàm sentiatur.

In 2. Regulâ pro distribuendis Eleëmosynis.

PAg 252. *Secunda*: * *ee* Vt cōsiderem, &c. *vsque adfinem. Hæc regula in autographo sic habetur*: Secunda, Vt considerem si quis alter esset mihi planè ignotus, cui tamen pro hoc ministerio, & ipsius statu omnē perfectionis gradū exoptem, quam ego illum in hac distributione rationem sequi vellem ad maiorem Dei gloriam, & animæ suæ perfectionem, hac ipsâ eâdem mihi vtendum esse.

LAUS DEO.

Quæ

Quæ commendanda ſunt ei, qui abſolvit Exercitia.

Hic eſt titulus Capitis 40. in Directorio: ubi monemur, quòd fervor in Exercitiis conceptus, facilè ſe remittat, & extinguatur; ſicut uſu venire ſolet iis, qui ex calido loco in frigidum migrant. Quod ne contingat, ſuadetur ibidem, ut pias Exercitationes benè ordinemus, & obſervemus; veluti quotidianam meditationem, Examina, lectionem libri pii. &c.

Capite verò 13. Director. §. 5. ſingulari curâ commendatur uſus examinis particularis. *Itaq;* (inquit Direct.) *in fine Exercitiorum cùm diſcedenti dantur præcepta vitæ benè inſtituendæ, hoc in primis inculcandum eſt.* Ex quo conſidera, quantò magis nobis Examen illud cordi eſſe debeat.

Ego addo, & iterum ſuadeo, ut undecumq; demum materiam quotidie meditandi quis ſibi deſumat, ne omittat per intervalla, veluti ſingulis, vel alternis ſeptimanis ſeligere, & adhibere aliquam meditationem ex libro Exercitiorum S. P. Noſtri. Sic facilè fovebit, & augebit Spiritum in ſancto illo otio è cœlo hauſtum.

Explanatio.

SPECIMEN
MEDITATIONIS INTEGRÆ.

DIſſeruimus, poſt Contempl. 2. Hebd. 2. de Meditationum Punctis. Subindè, in vitæ Chriſti Myſterijs explanandis, conati ſumus, *quaſi digito indicare venam*, undè Meditationum Puncta poſſent erui: nunc quomodò Puncta ipſa ad Meditationis formam redigi poſſint, ob oculos ponemus, adiectâ ſerie eorum, quæ Meditationem, vel præcedunt, vel ſequuntur.

Damus autem hoc ſpecimen, non quòd velimus, ut hiſcè noſtris cogitationibus quiſquam adhæreſcat. Scimus enim cum Cypriano, cujus verba dedimus ſuprà pag. 17. in

Explan. lit. D. Vestem à nobis paratam, alteri fortassis nō convenire. Sed id potissimùm nobis hîc propositum est ostendere, quanta memoriæ; quanta intellectui; quanta voluntati rerum series ac copia, offeratur, in illâ meditandi formâ, quam S. P. Noster nobis præscripsit.

Ad exemplum utar argumento, quod affert ipsum Hebdomadæ maioris tempus, quo hæc scribo, *De Mysteriis in Cruce factis*: & commodè quidem: nam plurium Punctorum specimen licebit in eo exhibere.

Pridie.

PRæparanda est Meditatio, indagando *fideliter -- contemplationis historiam, percursis obiter dumtaxat Punctis illius præcipuis, & adiectâ,* sive apud animum nostrum excogitatâ *solùm brevi declaratiunculâ.* Et potest quisque *in plura, vel pauciora Puncta redigere contemplationem, prout commodiùs se habere expertus fuerit. Quâ in re magnopere iuvabit, ante ingressum Exercitij, tractanda Puncta comminisci, & numero certo præfinire.*

Post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel Angelica Salutatio, cogitabo *de horâ, quâ surgendum mihi erit, Exercitij faciendi puncta breviter animo retractans.*

Manè.

UBi fuero experrectus, præcogitans, quò tendam, & instantem contemplationem paululùm delibans, interim dum surgo & accingor, adnitar simul ad tristitiam, & dolorem de tot ac tantis Christi pœnis meipsum acriter incitare.

Signo ad meditandum dato.

A *Loco futuræ meditationis, uno vel gemino adhuc passu distans, per tantillum tempus, quo percurri Oratio Dominica posset, animo sursum elevato* considerabo *Dominū meum IESUM, ut præsentem, & spectantem, quidnam acturus sim, cui reverentiam cum humili gestu* exhibebo.

Oratio præparatoria.

HAc *petimus á Domino gratiam, ut vires atq; operationes nostræ omnes, sincerè ad eius gloriam, & cultum tendant.* Iuverit hîc memorē esse Annotationis quintæ inter 20.

Prælud ium primum.

PRoferre *in medium contemplandæ rei historiam, quæ hoc loco erit:* quomodò CHRISTUS, vestibus spoliatus, super quas milites miserunt sortem, & è Cruce pendens inter duos Latrones, per tres omninò horas inter summa tormenta animam agens, à Iudæis fuerit impetitus horrendis blasphemijs, acetoque potatus. Cùm ipse intereà Latroni parceret, & pro crucifigentibus se oraret. Quibus rebus omnibus constanter interfuerunt B. Virgo MARIA Mater eius, cum cæteris mulieribus & Ioannes: donec tandem spiritum in manus Patris sui commendavit & tradidit: quando Sol obscuratus erat, & plura alia prodigia cōsecuta sunt.

Præludium secundum.

ERit *visio imaginaria; perinde ac si oculis pateret* Mons Calvariæ propè Ierosolymam situs, ad quem tunc confluxerant, visendi illius funesti spectaculi causâ, cum Iudæis multi etiam Gentiles, qui Ierosolymis erant. Deindè ad certam Montis partem lustrandus fatalis locus, reorum supplicio destinatus, in quo CHRISTUS extremum illum agonem, acerbissimamque mortem sustinuit.

Præludium tertium.

POscere *mœrorem, planctum, anxietatem, & cæteras id genus pœnas interiores, ut Christo patienti,* & in cruce morienti *pro me compatiar,* & sub Crucis Vexillo, ipsum quàm proximè imiter.

PVNCTVM PRIMVM.

RE*spicere* personas, quod est officium memoriæ: & *aliquid in usum meum adducere*, quod fit ratiocinando per intellectum.

Memoria.

VIdeo igitur IESUM, 1. Cruci affixum tribus aut quatuor clavis. 2. Humillimo constitutum loco, medium inter duos Latrones. 3 Conspicio illum in Cruce nudū. 4. Erat autem locus ille propè Ierosolymam: *quia propè civitatem erat locus, ubi crucifixus est* IESUS. Ioan. 19.

Intellectus.

SEd nunc respiciam me ipsum, & ex singulis quæ vidi, *aliquid in usum meum* adducam.

Itaque primò. Cùm in Meditatione de Regno Christi tantus me incesserit ardor assimilandi me Christo Regi meo, æquum est, ut cum Apostolo ad Gal. 2. dicere possim, Christo *confixus sum Cruci*. Et cum eodem ad Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est*. Id etiam non aliâ ratione meliùs fieri potest, quàm per tria aut quatuor Religionis vota, quibus tamquam totidem clavis, Cruci quodammodò affigimur.

2. Cùm etiam ibidem decretum mihi fuerit non alio uti vestitu, quàm quo Regem meum utentem conspexero; quid nunc superest, nisi, ut nudus, & spoliatus caducis omnibus rebus, nudum Christum sequar?

3. Sed necesse in primis est: *Admittere & concupiscere totis viribus* humillimum ubique locum, quem CHRISTUS *Dominus noster amavit & amplexus est*.

4 Quod si pacem & requiem animi quæramus, nullibi nisi in humili illo loco illa invenitur. Ideò enim propè Ierosolymam, hoc est, propè civitatem pacis, crucifixus est humillimus IESUS. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis* REQUIEM *animabus vestris*. Matth. 11.

Volun-

Voluntas.

PRorsùs opto, iisdem Christi vestibus & insignibus indui. Volo nudus nudum Christũ sequi. Deinceps *mihi -- absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IEsu Christi, Gal. 6. hoc est, in humillimo, qui usquam est, statu & loco.

O! felices illos, qui per tria aut quatuor Religionis vota Christo confixi sunt Cruci! Felix paupertas! felix castitas! felix obedientia! dulces clavi, quibus cum Christo configimur Cruci!

Erit mihi pax & quies in hoc humili & obscuro loco. *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Ps. 4. *Sub umbrâ illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Nempe sub umbrâ humili & obscurâ Crucis, gustabo dulcissimum pacis & requietis fructum.

PRIMA PROSECUTIO PRIMI PUNCTI.

Memoria.

SEd convertamus tantisper oculos ad alias personas: ita tamen, ut intueamur semper, & respectemus Christum. *Stabant autem iuxta Crucem IESV Mater eius.* Ioan. 19. *Stabant autem omnes noti eius à longè.* Lucæ 23. Et videbat IEsus *Matrem & Discipulum stantem.* Ioan. 19.

Intellectus.

COnemur hinc etiam proficere. Stabant videlicet personæ illæ tamquam constantes, & minimè fracto animo in adversis. Stabant, nec perturbatâ mente huc illuc cursitabant; ut agnoscas fortitudinem coniunctam, cum quiete & pace animi. Respice te, & vide, quàm sis animo imbecillo in adversis.

Voluntas.

AH! pudet me ignaviæ meæ. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Psal. 6. Posthac ab exemplo hoc,

quod obversatur oculis meis, animos ac vires sumam in adversis. *Stabunt iusti in magnâ constantiâ.* Sap. 5.

SECUNDA PROSECUTIO PRIMI PUNCTI.

Memoria.

AT quàm diversa est facies Iudæorum & Gentilium, ab illâ B. Matris Dei, aliorumque justorum! Non enim video plerosque Iudæos stantes, sed *prætereuntes*, & *moventes capita sua*. Matt. 27. Et ecce *currens unus ex eis*. Ibid. O! quàm ibi omnia sunt strepitu plena! quanta concursatio! quanta concitatio, & perturbatio! in hoc uno erant concordes, ut scelus meditatum perficerent.

Intellectus.

NIl mirùm. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Isa. 57. Merebant illi sub Vexillo Luciferi, quem vidimus *apud campum Babylonicum* - - *in cathedrâ igneâ & fumosâ sedentem.* In igneâ quidem, quia quietis & pacis omnis est expers: in fumosâ verò, quia apud ipsum confusa & perturbata sunt omnia.

Voluntas.

O! infelices Satanæ milites! Mirùm, quòd dehiscens tellus vos non trahit præcipites in locum horroris sempiterni. Nam vestra illa corporum animorumque agitatio, vos istuc præcipites agit.

Mihi autem nullum erit umquam vobiscum commercium; sed totum me CHRISTI Vexillo in æternum devoveo.

Hactenùs personas consideravimus, easque paucas; & in singulis etiam pauca. Nam quàm multa in CHRISTO è Cruce pendente considerari possunt! Interiora ne attigimus quidem, de quibus locuti fuimus post Contempl. 2. Hebd: 4. Licebat etiam Matrem CHRISTI, Ioannem, & mulieres, singulas

singulas ordine recensere: tum Latrones singulos; Cælites deniqúe & Patrem æternum, cum Spiritu Sancto, & ex singulorum contemplatione fructum nonnullum decerpere. Sed satis sit ad exemplum primi Puncti.

PUNCTUM SECUNDUM.

A*Udire* per memoriam, *quid loquantur,* & per intellectum *fructum indè decerpere.*

Memoria.

AUres arrige: & Iudæos audi, qui *blasphemabant --- dicentes: Vah! qui destruis Templum Dei, &c. Si Filius Dei es, descende de Cruce, &c.*

Unus autem de --- Latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es CHRISTUS, *salvum fac temetipsum & nos.*

Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum, quod in eâdem damnatione es. Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESUM: Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.

Et dixit illi IESUS. amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso. Lucæ 23.

Intellectus.

QVàm inter se contrarias audivimus voces! ac primùm quidem vox illa, *Vah!* plena est contemptione, & opprobrio. Illud verò *si, Si Filius Dei es, &c.* incredulitate & infidelitate, atque sarcasmo plenum est.

Quantò meliùs bonus ille Latro! Procul ab oratione ipsius illud detestabile, *Vah!* procul incredulum illud *si.* Non dicit: si Dominus es; si veneris in Regnum tuum: sed indubitanter: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Prætereà confitetur disertè, tum scelera sua, tum innocentiam & sanctitatem Christi. *Nos quidem,* inquit, *justè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Et verò *si confiteamur peccata nostra, fidelis est* DEUS

& iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1. Ioan. 1. Ideò Christus Latroni reposuit verba solatii plenissima: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Voluntas.

O! detur & mihi aliquando audire vocem illam: *Hodie mecum eris in Paradiso!* ô! quantam suavitatem spirāt verba singula! *hodie* Hodie, inquam, neque enim in crastinum differetur desiderium tuum. *Mecum eris.* Cum JEsu eris. *Esse sine* JEsu *gravis est Infernus, & esse cum* JEsu *dulcis Paradisus.* A Kemp. lib 2. cap. 8. Mecum eris *in Paradiso,* in statu Beatorum. *O! superna civitatis mansio beatissima! ô! dies æternitatis clarissima! - - - ô! utinam dies ille illuxisset!* Et reliqua, quæ pulcherrimè habet à Kempis lib 3. cap. 53.

At verò, ut tantæ felicitatis compos aliquandò fiam, apud animum meum firmissimè statuo imitari dicta boni illius Latronis.

Ac primò quidem minimè dubiâ fide Christum Deum agnoscam, etiamsi panis viniq; speciebus velatus sit. Ac nominatim extremo illo tempore, quando mihi communicabitur tamquam viaticum ad æternitatem, exclamare juvabit: *In Cruce latebat sola Deitas; sed hîc latet simul & humanitas. Ambo tamen credens atq; confitens, peto, quod petivit Latro pœnitens.* Tunc etiam cum fiduciâ ingenti dicā: JEsu *memento mei.*

Sed ad horam illam jam nunc comparabo me, confitendo peccata mea. Nam *peccatum meum contra me est semper.* Psal. 50. In adversis omnibus dicam: *Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.*

Verba tamen illa: *Hic verò nihil mali gessit,* quæ summam hominis Dei sanctitatem demonstrant, animo meo nihilominùs altè impressa servabo. Mirè enim iuvant, ut possim *cogitare, quid sit Deus, quem ità offendi, collectis comparatisq; perfectionibus attributis Deo, ut propriis, cum oppositis meis vitiis atq; defectibus: summam scilicet eius - - bonitatem, & iustitiam, cum extremâ meâ - - - malitiâ & iniquitate conferendo.*

Atque hæc de unico Christi verbo ad Latronem prolato. Quanta meditandi seges oriretur, si septem illa verba persequi vellemus!

PUNCTUM TERTIUM.

ATtendere per memoriam *quid agant; & ratiocinando per omnia proficere.*

Memoria.

POstquam autem crucifixerunt eum --- unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Matth. 27. *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum:* JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM --- *Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit; Rex sum Iudæorum.* Ioan. 19.

Milites ergò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad invicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illâ, cuius sit. Ioan. 19.

Intellectus.

QUinam dividunt vestimenta Christi, nisi illi, qui charitatem violant, & dividunt fratrem à fratre? De hoc monebat Corinthios Apostolus, dicens: *Audio scissuras esse inter vos,* 1. Cor. 11.

Jlli verò qui temerè, & sine electione, negotia salutis suæ tractant, & de vitæ statu, aliisq; rebus leviter, negligenterq; decernunt, currentes quò fert impetus, aut *utentes præposterè fine ac medio,* videntur mihi ludere, & sortem mittere super vestem Christi: illam, inquam, vestem, de quâ Apoc. 19. dicitur: *Et vestitus erat veste aspersâ sanguine;* quia scilicet tanto sanguine constitit illi salus nostra.

At quis explicet illam Judæorum invidiam, quâ etiam titulum Regis à Pilato scriptum, tollere conati sunt? Offendebat is oculos eorum: & vel sic demonstrârunt verum

esse

esse, quod sciebat probè Pilatus, *quia per invidiam tradidissent eum.* O! peccatum verè capitale, ex quo tanta gignūtur scelera!

Sed aliud capitale peccatum, Gulam scilicet, docet nos fugere & frenare Christus, quando voluit aceto potari.

Voluntas.

SEx *sunt quæ odit Dominus, & septimum* (hoc est, *eum, qui seminat inter fratres discordias*) *detestatur anima ejus.* Prov. 6. Ego quoque odio prosequar, & detestabor semper illud tam perniciosum humano generi vitium. Quin potius altè animo impressa retinebo verba illa, quæ hesterno vespere, hoc est, pridiè quàm pateretur, post Cœnam ultimam suis dixit moriturus pro nobis Christus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem - - - in hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13.

Ab hac charitate procul sit Judaica illa invidia. Equidem Christo titulum Regis adeò non invideo, ut illum, quâ patet orbis, velim divulgare & celebrare. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Psal. 144. Sed neque aliis invidebo. *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet?* Num. 11. *Utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.* 1. Cor. 4. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Psal. 118.

Jam verò vestem illam Regis mei sanguine aspersam pro salute meâ, veneror & osculor. Et videtur mihi illud cruentum vestimentum clamare, & auribus meis insusurrare verba illa ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Numquam proindè temerè, numquam sine cogitatione & electione in negotio salutis procedam. Sed *è contrario planè agendum est, proposito primùm divino cultu, tamquam fine nostro, &* electis *deinceps - - - rebus omnibus, quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis.* O! non cadat in me illud Deuter. 32. *Gens absq; consilio est & sine prudentiâ. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!*

At quàm doleo, ô! Iesu, quòd *dignitas conditionis humanæ, per*

ma, per immoderantiam sauciata, Orat. fer. 5. Hebd. Pass. tanti tibi tormenti, in acerbissimâ siti, causa exstiterit, ut aceto fueris potatus! Ego, ut aliquatenùs tibi compatiar, non modò servabo regulas mihi relictas *ad victum rectè temperãdum;* sed etiam primum pœnitentiæ genus *circa victum subtractis quibusdam non superfluis solùm - - - sed etiam convenientibus alimentis,* per intervalla usurpabo.

PUNCTUM QUARTUM.

ADvertere, quanta Christus patiatur *juxta historiam: undè incipiam & ipse, &c.*

Memoria.

HIstoria hæc est: *Crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius - - - Crucifixi sunt cum eo duo Latrones - - Clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Matth. 22.

Intellectus.

REvocemus in memoriam quatuor illas res in *Fundamento* enumeratas, ut aliquatenùs saltem cognoscamus, quanta moriens in Cruce Christus passus sit.

Et paupertas quidem fuit summa. Erat enim nudatus & spoliatus omnibus, etiam vestibus & amicis.

Opprobriis autem, injuriis, & contemptu fuit saturatus. In medio duorum Latronum suspensus, *cum iniquis reputatus est.* Marc. 15.

Quis verò morbos, doloresq; tum animi, tum corporis in Cruce exantlatos verbis explicare possit? Tormenti genus fuit, grãdibus illis clavis transfigi manus pedesque. Ad hæc, vulnera omnia è Cruce pendentis recense, si potes. Et tamen in his cruciatibus duravit tres omninò horas.

Durum præterea fuit Christo, id ætatis vitam cum violentâ morte commutare. Dicere poterat cum Ezechiâ, Isaiæ 38. *Præcisa est velut à texente vita mea. Dum adhuc ordirer succidit me - - - quasi Leo sic contrivit omnia ossa mea.*

Voluntas.

EGonè dum Rex meus, ſub cuius vexillo mereo, tanta moriens patitur, deliciis operam dabo? Non dabo. Sed ante omnia *eligam potiùs cum eo paupere --- pauperiem --- amplecti, quàm opes.* Quoties oculos conijciam in imaginem Chriſti, nudi & pauperis Cruci affixi, recordabor verborum illorum. 1. Tim. 6. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus.* Pauper igitur cum Chriſto vivam, ut pauper cum eo moriar, & poſſim mihi *theſaurizare --- fundamentũ bonum in futurum.* Ibid.

Deinde *eligam potiùs cum eo --- ſpreto & illuſo --- cõtemptum & inſipientiæ titulum amplecti, quàm --- honores & ſapientiæ æſtimationem.* Imitabor *auctorem fidei & conſummatorem* IESVM, *qui -- ſuſtinuit Crucem confuſione contemptâ.* Sic ego quoque contemnam injurias & dicta hominum. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus & vermis eſt; hodie extollitur, & cras non invenietur.* 1. Mach. 2. Dabit mihi (uti confido) idem IEsus crucifixus vires & animos, ad perferendos fortiter, quoſcumque corporis morbos & dolores. *Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris eſt noſter homo corrumpitur; tamẽ is, qui intùs eſt, renovatur de die in diem.* 2 Cor 4. Renovatur, inquam, vel ex ſolâ CHRISTI in Cruce pendentis recordatione.

Denique ne mors quidem ipſa, ſi ſubeunda ſit, me abſterreat à Dei obſequio. *Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam,* inquit CHRISTUS. Matth. 16.

Sed hîc imbecillitatis meæ me admonet S. Franciſcus Xaverius, egregius ille Ignatii diſcipulus & filius. *Mihi credite,* inquit lib. 1. Epiſt. 15. *Fratres chariſſimi, etſi huius ſententiæ verba generatim facilia ſint ad intelligendum: tamẽ ubi tempus incidit, cum ſtatuere oportet, tibi pro Deo vitam amittendam eſſe, & mortis diſcrimen adeundum, uſq; eò eadem ſententia, etſi clariſſima ſit, obſcura fieri ſolet, ut is modò eam intelligat, cui pro ſuâ benignitate declaraverit Deus.*

Enim-

Enimverò istiusmodi temporibus apparet, quàm imbecilla, infirmaq; sit humana natura. Quocircà non cessabo Christum per mortem eius orare, ut mihi donum largiatur fortitudinis, ad vitam eius amore contemnendam.

PUNCTUM QUINTUM.

MEditari, quo se pacto abscondens CHRISTI Divinitas, adversarios suos, cùm valeat non perdat; sed pœnas adeò crudeles pati sinat humanitatem.

Memoria.

SOl obscuratus est, ipso expirante, & petræ scissæ sunt; aperta quoque monumenta; & velum Templi à summo ad infimam usque partem scissum; & latus lanceâ confossum, aquam & sanguinem effudit. Ita narrat *S.* P. N.

Intellectus.

AN non parem habuit potestatem CHRISTUS, ad perdendos adversarios suos, atque ad tot signa & prodigia perpetranda. Hinc profectò intelligitur, quantâ volūtate passus sit illa, quæ potuit non pati, si voluisset. Verè *oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. ut discas liberè etiam ea eligere, juxta 3. Humilitatis gradum, ad quæ eligenda nullâ adigeris necessitate.

Voluntas.

QVanta hìc sese offert materia gratias CHRISTO agendi! quanta admirationis & amoris causa!

Sed amorē meum adversū. CHRISTUM re potiùs ipsâ, quàm verbis volo comprobare. Fixum proinde mihi est, *etiamsi nullo superaddito, laus Dei par oret, ad maiorem tamen imitationem* CHRISTI, concupiscere potiùs; & eligere ea quæ CHRISTUS, *Dominus noster, amavit & amplexus est.* Curabo quoque, quamvis mutari posset, vt non violem *electionem talem, sed potiùs, ut in eâ magis ac magis* proficiam.

PUNCTUM SEXTUM.

C*Ogitare, cùm talia ferat pro peccatis meis, quid agere debeam, aut pati ejus causâ.*

Memoria.

ITerùm redeant in memoriam ea, quæ CHRISTUS in hoc *Mysterio* passus est, & uno quasi obtutu aspiciantur.

Intellectus.

TRia hîc sunt perpendenda. 1. Quid CHRISTUS egerit? Perfecit videlicet opus redemptionis nostræ: *Delens* (Coloss. 2.) *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & exspolians principatus, & potestates, &c.* 2. Quæ & quanta passus sit? Id verò facilè ex iis, quæ adhuc vidimus, cognosci potest. 3. Quâ causâ passus sit? Pro peccatis meis, juxta illud ad Gal. 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Neque pro meis solùm peccatis, sed *pro omnibus mortuus est CHRISTUS*. 2. Cor. 5.

Restat, ut me respiciam, & oculos convertam in tempus antè actum, videamq; quid vicissim Christi causâ egerim, & passus sim. Nominatim, quid egerim, ne chirographum illud, jam Cruci affixum & deletum, denuò in me renovaretur: quid etiam egerim in bello illo sacro, quod Christus intulit potestatibus illis & principatibus: ad quod me quoque invitavit, ut debellatis & exspoliatis inimicis ejus omnibus, in Regnum Patris cum ipso intrarem. Quid denique pro peccatis meis passus sim, pro quibus ipse innocens tanta perpessus est.

Voluntas.

AH! pudet vitæ in tantâ ignaviâ transactæ. Nam dum annos præteritos in mentem revoco, comperio, neque pro salute meâ, neque pro alienâ, quidquam à me dignum memoratu, aut actum esse, aut toleratum: ut verè dicere Deo possim, *nihil dignum in conspectu tuo egi.* Offic. Defunct.

Ah! utinam saltem, quod superest vitæ, meis, aliorum-

que peccatis corrigendis & delendis, sedulò impendam!

Dixi, nunc cœpi. Psal. 76. Nunc incipiam, *non solùm saluti, & perfectioni* propriæ, *cum divinâ gratiâ vacare, sed cū eâdem impensè in salutem & perfectionem proximorū incumbere.* Nec enim in alio negotio, possum meliùs CHRISTI causâ aut agere, aut pati.

COLLOQVIUM.

Fiat illud; *Sicut amici sermo ad amicum; vel servi ad Dominum;* vel militis ad Ducem; vel rei, ad Judicem; vel clientis ad advocatum; vel captivi ad liberatorem; vel cœci ad ductorem; vel ægri ad Medicum; vel discipuli ad Magistrū; filii ad patrē: *Nunc gratiæ aliquid petendo; nunc culpā aliquam meam incusando, interdùm propria quælibet communicando, ac petendo consilium super illis.*

Intermisce affectus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum. *Petendo etiam pro affectu, quem in me sensero quidquid ad maiorem iuvet imitationem Domini mei.*

Nominatim verò postulandum, ut ad talem perducamur electionem, quæ sit ad majorem CHRISTI imitationem, juxta tertium Humilitatis gradùm.

Optimè etiam in hac Hebdomadâ tertiâ postulabitur gratia illa *nobis tripliciter* necessaria, quæ describitur in Exercitio tertio Hebdomadæ I.

Denique *ea proloquar, quæ suggeret mens & affectus.*
Et ultimò dicatur: Pater noster, &c.

RECOLLECTIO.

Completo Exercitio, sedens, vel deambulans, per quartam circiter horæ partem, mecum dispiciam, quonam modo Meditatio -- successerit: & siquidem malè, inquiram causas, cum pœnitudine, ac emendationis proposito, si quid in ordinandâ Meditatione neglexerim, si quam additionem omiserim. *Si verò benè, gratias Deo agam,* ipsi totum acceptum referens, *eumdem posteà modum observaturus.* Simul prospiciam, quæ die illo futura videatur occasio, exequendi illud, quod inter meditandum rectè statutum est, & in eam animo intentus, ad cætera, quæ agenda sunt; me accingam.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

BREVIVS INDEX
Meditationum, Additionum, & Notandorum, quæ hoc libro continentur.

Prima hebdomada.

Notand

Regulæ vtiles.

INDI-

INDICULUS TITULORUM QUORUMDAM EXPLANATIONIS.

Trans-

Reliqua satis possunt inveniri, prout conjuncta sunt textui Libri Exercitiorum.

APPENDIX
EIVSDEM AVCTORIS.
AD EXERCITIA S. P. IGNATII EXPLANATA
Impressa Posnaniæ, Anno 1692.

Ad Lectorem

IN Explanatione *de partibus libelli Exercitiorum*, pag: 10 scripseramus, quod illi, *qui per octo, vel decem dies eisdem Exercitiis vult vacare, nolumus in singulos dies, suas meditationes præscribere.* Quia tamen deinde rogati sumus, ut ordinem aliquem annecteremus, tum meditationum, tum lectionum, per hanc APPENDICEM id præstamus.

Quia verò Exercitia, quæ triginta circiter diebus, iuxta Annot. 4. inter 20. absolvi deberent, sæpiùs ad pauciores dies, veluti ad octo, contrahuntur, usui esse debet *subnotandum*, quod ponitur in fine Hebdomadæ tertiæ; & repetitiones, ac Applicationes sensuum interdum sunt omittendæ.

Materiam Meditationum brevissimè indicamus, & quasi verbo uno; nec. ubi sit quærenda semper adscribimus. Agimus enim cum illis, quibus credimus librum Exercitiorum, cum explanationibus familiariter esse notum. Facilè tamen invenietur materia assignata, si inspiciatur index libri Exercitiorum vel explanationum. Plerasq; tamen paginas designabimus, ad faciliorem usum.

Dum etiam aliquid de libro Exercitiorum dicitur; explanatio, si quæ juncta est, subintelligenda & legenda erit.

Damus autem non unum ordinem; sed aliquot ex pluribus, qui formari possent: ut Exercitijs vacaturus habeat delectum: modò enim hujus hebdomadæ, modò alterius materiæ juvabit diutius inhærere. Poterit etiam unusquis-

que ordinem aliquem facilè immutare ad guſtum ſuum; vel ad decem, pluresve dies accommodare.

In ordine lectionum, ea, quæ legi poſſunt, non omnia ſimul; ſed ad hanc meditationum ſeriem, hæc; ad aliam, alia aſſignamus: quæ ità accipi debent, ut ad quamlibet ſeriem meditationum, quælibet lectiones adhiberi, commutari, permiſceri etiam inter ſe poſſint. Id tamen præ cæteris curandum, ut, diligenter legendo, Librum Exercitiorum nobis FAMILIAREM, imò FAMILIARISSIMVM reddamus, iuxta regulas infra citandas.

Cæterum, qui accuratè Exercitijs incumbit, is multa lectione ne ſe fatiget, præſertim ſi Sacerdos ſit, aut (quod nonnumquam bene fit) extra meditationis horas, quartam, vel mediam horæ partem ſibi aſſumit, ut ſtatûs, & muneris ſui regulas examinet. Præcipua cura ſit, ut exercitia meditationum, quæ ſingula (ut oſtendimus ad 12. *Annot.* inter 20. & ad *notandum* poſt 3. contempl heb. 2.)integram horam requirunt, rectè cum omnibus additionibus peragantur. Sapientiſſimè adeò dicit S. P. noſter poſt Contempl. de Regno Chriſti, *quod utile fuerit* ALIQVID SVBINDE *legere*. ALIQVID, inquit,nō multa; SVBINDE non perpetuo, & contento curſu. Non igitur omnia, quæ proponimus, legenda erunt; ſed decerpenda hæc, vel illa; pauciora, vel plura, prout ad propoſitum finem videbitur convenire.

Poſſent deniq; ex alijs libris lectiones deſumi, ut patet ex Direct. cap. 3. & ex verbis S. P. noſtri, poſt contempl. de Regno Chriſti. Sed hæc ſufficient ad ſpecimen.

Illud tamen non omittam dicere, quod, ſi ex vitis Sanctorum quis legere velit, videantur noſtrorum vitæ noſtris valde accommodatæ.

Nullas quoq; lectiones damus ex ipſis explanationibus, ſed paucas tantummodo, occaſione oblatâ, attingimus: tum quia, dum lectiones aſſignamus ex libro ipſo exercitiorum, ſimul Explanationes junctæ, ut diximus,legendæ ſunt. tum quia cæteræ Explanationes, perinde atq; ipſe Exercitiorum liber nobis, ſæpe per anni decurſum lectæ, & memoriæ quodammodo mandatæ eſſe deberent.

Quænam conveniat legere ante ingressum in Exercitia; & in fine illis peractis.

Ante Exercitia.

EX libro Exercitiorum legenda annotatio 1. pag: 15. & 4. pag: 18. tum 5. pag. 19 ac deniq; 3. 12. 13. & 20. cum locis Directorij designatis in Explanat: ad titulum Annotationum 20. lit. A. pag: 14.

Item ex Explanationibus legenda Explanatio *de partibus libelli Exercitiorum*, posita antè Annotationes 20. pag. 10. *Quot horis sit meditandum*, Ad annot 12. ex 20. pag. 21. & ad *notandum*, quod sequitur tertiam contempl: hebdom. 2 pag. 87.

Item ex directorio, Prœmium, & cap. 2. *Quomodo dispositus esse debeat, qui ad Exercitia facienda accedit*: saltem usq; ad §. 6. exclusivè. Et capitis 10. *De modo tradendi nostris Exercitia*. §. 7. *materia reformationis, quæ*. & §. 8. *sui cognitio in primis necessaria*: & cap. 39. *de tribus viis*. Item *specimen* meditationis integræ, in fine Explanationis. pag. 275.

Post peracta Exercitia.

Semper in quovis ordine legendum cap. 40. Directorij *De iis, quæ commendanda sunt ei, qui absolvit Exercitia*, cum Explanatione, quæ habetur in fine libri Exercitiorum: pag. 275. item direct. cap. 1. *Quomodo inducendi sint homines ad Exercitia*.

Sequuntur
SEX ORDINES,
Pro Exercitijs octo dierum.

NOtandum primò: quod pro unoquoq; die assignentur quatuor meditationes.

Notandum ſecundò: quod ſingulæ meditationes unius ordinis commutari poſſint cum meditationibus alterius ordinis; vel earum loco aliæ aſſumi, ad eamdem hebdomadam ſpectantes. *I*dem de lectionibus notandum eſt, ut iam ante diximus.

PRIMVS ORDO

IN quo aſſignantur meditationes duæ, *de fundamento*; decē *ex primâ*; duodecim, *ex ſecundâ*; quatuor, *ex tertiâ*; & quatuor, *ex quartâ hebdomadâ*: lectiones verò, *ex ipſo libro Exercitiorum*: cujus uſus juxtà reg. *7*, Sacerdot: nobis VALDE FAMILIARIS; & juxtâ reg: 4. præfecti rerum ſpiritualium *FAMILIARISSIMVS* eſſe debet.

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. DE *fundamento*. pag. 32. tum 2. repetitio. 3. primum *E*xercitium *de triplici peccato*, pag. 45. tum 4. *R*epetitio cum triplici colloquio, pag. 55.

LECTIONES.

EXamen particulare, pag. 35. & Generale. pag. 38. 43. *A*dditiones, pag. 62. etiam decima, quia inchoata eſt prima hebdomada. vide direct: cap: 15. §. 8.

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. SEcundum Exercitium *de peccatis*. Pag. 52. Tum 2 *R*epetitio cum triplici colloquio. 3. *de inferno*. pag. 57. Tum 4. *R*epetitio.

LECTIONES.

Annotatio 9. inter 20. *de uſu primarum regularum ad diſcernendos ſpiritus*. Pag. 20. *I*tem regulæ primæ *ad diſcernendos ſpiritus* pag. 233. quibus addi poſſunt *R*egulæ *de ſcrupulis*. pag. 256.

TER-

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De pœnis peccatorum in statu legis naturæ.* pag. 173. tum 2. *de vulneribus à peccato inflictis corpori.* pag. 177. tum 3. Repetitio, cum triplici colloquio. 4. *de morte*, pag: 180.

Hæ meditationes, & plures(de quibus postea) inveniuntur in Explanationibus, post tres modos orandi: pag. 173. & possunt hîc, & alibi aliæ substitui: vide etiam indicul. Explanationum, ut invenias singularum paginam.

LECTIONES.

Confessionis Generalis, & communis usus, pag. 44. juxta direct. cap. 16.

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Regno Christi*, pag. 70. tum 2. Repetitio. 3. *de incarnatione*, pag. 76. & 184. tum 4. Repetitio.

LECTIONES.

Additiones, sive notanda secundæ hebdomadæ, pag: 92. cum Explanatione *de punctis meditationum*, quæ est posita post contemplationem *de Nativitate*, pag. 83. Præludium *de statibus*. pag. 95. 96.

Semper intelligendus est textus libri Exercitiorum, cum suâ Explanatione.

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Nativitate* pag. 81. & 186. tum 2. Repetitio. 3. Repetitio utriusq; *de incarnatione, & de Nativitate*. 4. Applicatio sensuum ad utramq; pag. 89.

LECTIONES.

Præludium ad electionem faciendam. pag. 119. introductio ad eligendarum rerum notitiam. pag. 121. de tempore triplici ad electiones. pag. 123. Annotatio 10. in-

ter 20. pag. 20. & regulæ ſecundæ *ad diſcernendos ſpiritus* pag. 241. Monuimus in Explanatione *de partibus libelli exercitiorum*, §. 2, pag. 11. quod ſi non poſſit argumentum electionis ſatis legi tempore Exercitiorum, conveniat illud poſtea legere.

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De duobus vexillis* pag. 98. tum 2. *Repetitio*. 3. Repetitio 4. *de tribus claſſibus*. pag. 104.

Hodie iuverit *per diem totum revolvere* tres modos humilitatis, & colloquia; veluti in ſacro, horis canonicis, alijsq; precibus, eas dirigendo ad impetrandum id, quod per colloquia optamus.

LECTIONES.

Modus prior & poſterior eligendi. pag. 128. & 133. Item *de reformatione ſtatus*. pag. 135.

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De rebus à Chriſto poſt cœnam, & in horto geſtis*. pag. 144. & 210. tnm 2. *de condemnatione & crucifixione*. pag. 217. tum 3. *Repetitio*. 4. Applicatio ſenſuum.

LECTIONES.

Notanda quatuor in hac hebdomadâ pag. 145. Item Explanatio *de tribus punctis ſuperadditis in hac hebdomadâ* quæ eſt poſt contemp. 1. huius hebdomadæ. pag. 139. Regulæ de victu. pag. 149.

OCTAVO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De apparitione primâ* factâ *B*. V. MARIÆ. pag. 155. & p. 221. tum 2. *de Aſcenſione*. pag. 232. tum 3. Repetitio. 4. contemplatio *ad amorem ſpiritualem excitandum*. pag. 160.

LECTIONES.

No-

Notanda in hac hebdomadâ. pag. 157. & seq. & explanatio *de punctis in hac hebdomadâ superadditis*, quæ est in prima contemplatione lit. *B.* pag. 156. *Modi* tres orandi. pag. 164. *Regulæ ad sentiendum cum orthodoxâ Ecclesiâ.* pag. 259.

SECVNDVS ORDO.

In quo assignantur meditationes quatuor, *de fundamento*; quatuor, *ex primâ*; duodecim, *ex secundâ*; octo, *ex tertiâ*; & quatuor, *ex quartâ hebdomadâ*: Lectiones verò, *ex Directorio.*

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De fundamento*, punctum primum. pag. 32. tum 2. de eodem, punctum secundum, pag. 33. tum 3. de eodem, punctum tertium. pag 34. tum 4. de eodem, punctû quartum. pag. 34.

Vel sume quatuor meditationes, *de fundamento*, ex primo die quarti ordinis: nam (sicut monuimus) mutari meditationes possunt.

LECTIONES.

Direct: cap 12. *de fundamento.* Item caput 13. de duplici examine.

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. Ex Explanationibus, *de pœnis transgressorum quarti, quinti, sexti, & septimi precepti*; pag 175. vel alia eiusdẽ generis. vide indiculum Explanationum; ut invenias paginam. 2. Exercitium secundum *de peccatis*, ex libro Exercitiorum. pag. 52. tum 3. *Repetitio* utriusq; cum triplici colloquio. pag. 55. tum 4. de iudicio universali, pag. 180. vel alia eiusdem generis.

LECTIONES.

Cap. 11. Direct. *de primâ hebdomadâ in universum.*

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Regno Christi*, pag. 70, tum 2. Repetitio. 3. *de duobus vexillis*. pag. 98. tum 4. Repetitio.

LECTIONES.

Direct. cap. 18. *de secundâ hebdomadâ, & primò de fine, qui in eâ prætenditur*. Item cap. 19. in quo agitur *de primis quatuor Exercitiis secundæ hebdomadæ de præludiis & de punctis meditationum*: hisce adiungenda Explanatio *de punctis meditationum*, quæ habetur post contempl. de Nativitate, pag 83.

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De tribus hominum classibus*. pag. 104. tum 2. *de tribus modis humilitatis*, pag. 112. 113. &c. præmittendo præludia *de tribus hominum classibus*, omisso primo: & colloquia adhibendo, prout notatur. pag. 107. lit. D. Tum 3. *de Baptismo*, pag. 194. tum 4. *de tentatione Christi*, pag. 195.

LECTIONES.

Direct. cap. 29. §. 4. usq; ad §. 7. inclusivè, pro intelligentiâ trium classium. Item eiusdem cap. §. 8. *de tribus gradibus humilitatis*, ubi cùm dicitur, quòd etiam in meditatione opportuno tempore revolvendi sunt, non vetatur ne interdum id fiat adhibitâ aliquâ formâ meditationis.

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De vocatione Apostolorum*, pag. 197. tum 2. *de sermone habito in monte*, pag. 199. tum 3. Repetitio. 4. Applicatio sensuum.

LECTIONES.

Direct. cap. 20. *de quinto Exercitio secundæ hebdomadæ, quod est Applicatio sensuum*.

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De gestis in horto*. pag. 144. & 210. tum 2. *de gestis in domo Caiphæ*. pag. 213. tū 3. *de reversione ab Herode ad Pilatum* pag. 216. tum 4. *de condemnatione & crucifixione*. pag. 217.

LECTIONES.

Direct. cap. 35. §. 1.2. & 3. *de tertiâ hebdomadâ.*

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De mysteriis in cruce*, pag. 218. tum 2. Repetitio trium prædictarum priorum meditationum *de Passione*. 3. *Repe*titio duarum posteriorum. 4. *Repetitio* omnium simul.

LECTIONES.

Direct. cap. 35. §. 4.5.6. *de tribus affectibus pro hac hebdomadâ. Iuverit* tamen addere 7. 8.9.10. & 11. *de cæteris affectibus*, qui assignantur in tertio ordine, die sexto.

OCTAVO DIE.

MEDITATIONES.

I. De Apparitione octavâ *Discipulis piscantibus*, pag. 228. tum 2. de Apparitione nonâ *in monte Thabor.* pag 229. tum 3. *de amore DEI* excitando primum & secundum punctum, pag. 160. tum 4. *de eodem* tertium, & quartum punctum pag. 163. nisi placuerit commutare meditationes.

LECIONES.

Direct. cap. 36. *de quartâ hebdomadâ.*

TERTIVS ORDO

In quo assigaantur meditationes; una *de fundamento*; tres, *ex primâ*; sedecim, *ex secundâ*; octo, *ex tertiâ*; & quatuor, *ex quartâ hebdomadâ*: cum lectionibus *aliis ex Directorio.*

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *Fundamentum*. pag. 32. tum 2. primum exercitium, *de peccato triplici*, pag. 45. tum 3. secundum Exercitium *de peccatis*, pag. 52. tum 4. *Repetitio* cum triplici colloquio. pag. 55.

LECTIONES.

Direct. cap. 14. *De primo Exercitio primæ hebdomadæ*: & cap. 15: *De alijs Exercitijs.*

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Regno Christi.* pag. 70. tum 2. Repetitio. 3. *de Incarnatione*, pag. 76. tum 4. *de Nativitate*, pag. 81.

LECTIONES.

Direct. cap. 26. *de tempore triplici ad electionem rectè faciendam.* Cap. 27. *comparatio secundi temporis cum tertio.*

Quod suprà in primo ordine, die 5to monebamus, etiam hic locum habet, ut postea legantur de electione ea quæ tempore Exercitiorum satis legi non possunt.

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Pastoribus.* pag. 187. tum 2. *de tribus Magis.* pag. 188. tum 3. Repetitio: 4. Applicatio sensuum.

Liberum est cum alijs meditationibus has commutare.

LECTIONES.

Direct. cap. 28. *de modo priore, & posteriore bonæ electionis faciendæ.*

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De duobus vexillis.* pag. 98. tum 2. *de tribus classibus.* pag. 104. tum 3. *de sedatâ maris tempestate.* pag. 200. tum 4. *de ambulatione super aquas.* pag. 201.

LECTIONES.

Direct. Cap. 29. *de praxi & ordine electionis.* cap. 30. *de ipsâ electione iuxtâ rationem secundi temporis.* Cap. 31. *de electione iuxtâ priorem, & posteriorem modum.*

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De missis ad prædicandum Apostolis*, pag. 202. tum 2. *de quinque millium refectione.* Pag. 203. tum 3. Repetitio.

4. Applicatio ſenſuum. *Inſuper* hoc die, & pomeridiano præcedente, intrà & extrà meditationem revolvendi *tres modi humilitatis*, pag. 112. &c. iuxtâ direct. cap. 29. §. 8.

LECTIONES.

Direct. cap. 32. *de oratione poſt factam electionem.* Cap. 33. *quid agendum, cum eligens hallucinatur.* Cap. 34. *de iis qui ſtatum habent.*

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De ultimâ cœnâ.* pag. 138. & 209. tum 2. *de comprehenſione Chriſti.* pag. 211. tum 3. *Repetitio.* 4. *Applicatio* ſenſuum.

LECTIONES.

Direct. cap. 35. §. 7. 8. 9. 10. & 11. *de aliis affectibus pro hac hebdomadâ.* Iuverit tamen addere *de aliis affectibus* §. 5. & 6. qui aſſignantur in ordine, ſecundo, die ſeptimo.

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De accuſatione apud Pilatum.* pag. 214. tum 2. *de tranſmiſſo Chriſto* ad Herodem. pag. 215. tum 3. Repetitio. 4. Applicatio ſenſuum.

LECTIONES.

Direct. cap. 35. §. 12. & 13. *de Regulis victûs.*

OCTAVO DIE.

MEDITATIONES.

I. De tertiâ apparitione *Mulieribus*, pag. 222. tum de quartâ apparitione *Petro.* pag. 223. tum 3. *Repetitio.* 4. *de amore DEI excitando.* pag. 160.

LECTIONES.

Direct. cap. 37. de tribus modis orandi.

QVARTVS ORDO.

In quo aſſignantur meditationes quatuor *de fundamento*; octo.

cto, *ex primâ*; octo, *ex secundâ*; octo, *ex tertiâ*; & quatuor, *ex quartâ hebdomadâ*: cum lectionibus, *ex S. scripturâ*.

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. Duo prima puncta *fundamenti* pag. 32. & 33. tum 2. duo puncta posteriora, pag. 34. tum 3. *Repetitio*. 4. *Repetitio*.

LECTIONES.

Canticum Moysis. *Deuter.* 32. habetur Sabbato ad laudes, in officio feriali.

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. Primum Exercitium, *de triplici peccato*, pag. 45. tum 2. secundum Exercitium, *de peccatis*, pag. 52. tum 3. Repetitio, cum triplici colloquio, pag. 55. tum 4. *de inferno*. pag. 57.

LECTIONES.

Ad *Roman*. cap. 2. *secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor &c.*

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De pœnis transgressorum primæ tabulæ*. pag. 174. tum 2. *de vulnere peccati in intellectu*. pag. 178. tum 3. *Repetitio*. 4. *de iudicio particulari*. pag. 180. Semper autem licitum est, meditationes cum aliis commutare.

LECTIONES.

Sapient. 9. *Cogitationes enim hominum timidæ*, &c. *Item* Luc. 21. *de die iudicii.*

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De regno Christi*. pag. 70. tum 2. *de incarnatione*. pag. 76. tum 3. *de Nativitate*, pag. 81. tum 4. *Repetitio* duarum meditationum posteriorum.

LECTIONES.

Præter lectionem mysteriorum, de quibus meditati sumus

aut proximè meditaturi sumus, (de quo vide *notandum* primum hebdom. 2. pag. 92. & direct. cap. 21. §. 2.) legi potest ad Rom. 12. *obsecro itaque*, &c. *ut exhibeatis corpora vestra*, &c. Item ad Titum 2. *apparuit gratia DEI*, &c.

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De duobus vexillis*. pag. 98. tum 2. Repetitio 3. *de tribus hominum classibus*. pag. 104 tum 4. *de tribus gradibus humilitatis*. pag. 113. cum præludiis *de tribus classibus*, omisso primo, & cum colloquiis assignatis.

LECTIONES.

Præter mysteria ex evangelio de quibus meditati, aut meditaturi sumus; ad Ephes. 4. *unicuique autem nostrûm data est gratia, secundum mensuram donationis Christi*, &c. Item ad Coloss. 1. *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnũ Filii*, &c.

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De ultimâ cœnâ*. pag. 138. & 209, tum 2. *de rebus in Horto gestis*. pag. 144. & 210. tum 3. *Repetitio*. 4. Applicatio sensuum.

LECTIONES.

Præter mysteria ex evangelio, ut ante dictum, Isaiæ cap. 53. totum.

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De reversione ab Herode ad Pilatum*. pag 216. tum 2. *de condemnatione, & crucifixione*. pag. 217. tum 3. *Repetitio* 4. Applicatio sensuum.

LECTIONES.

Præter mysteria ex Evangeliis 1. Cor. 2. *Non enim iudicavi me scire aliquid, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum* &c.

OCTAVO DIE.

MEDITATIONES.

Sec

I. Secunda apparitio *Mariæ Magdalenæ*. pag. 221. tum 2. Apparitio quinta *euntibus in Emmaus*.pag. 224. tũ 3. Repetitio. 4 Contemplatio *ad amorem Dei excitandum*. pag. 160.

LECTIONES.

Præter mysteria ex evangeliis, 2. Cor. 1. *sicut abundant Passiones Christi in nobis, ità & per Christum abundat consolatio nostra*, &c. Item ad Coloss. 3. & 4. *super omnia autem hæc charitatem habete*, &c.

QVINTVS ORDO.

In quo assignantur meditationes una, *de fundamento*; quinque, *ex primâ*; sex, *ex secundâ*; duodecim, *ex tertiâ*; & octo, *ex quartâ hebdomadâ*: cum lectionibus, *ex libello de imitatione Christi*.

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De fundamento*.pag. 32.tum 2.*Pœnæ transgressorum octavi, noni & decimi præcept*.p.175. tum 3.Secundũ Exercitiũ *de peccatis*. pag. 52. tum 4. Repetitio utriusque cum triplici colloquio.

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 30. *de confessione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miseriis*, lib. 1. cap. 22. *de consideratione humanæ miseriæ*.

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De inferno*. Pag. 57. tum 2. Repetitio. 3. *de Regno Christi*. pag. 70. tum 4. Repetitio.

LECTIONES.

Manè lib. 1. cap. 24. *de iudicio, & pœnis peccatorum*. Post meridiem lib. 2. cap. 7. *de amore* IESV *super omnia*.

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De Nativitate*. pag. 81. & 186. tum 2. *de duobus vexillis* pag. 98. tum 3. *de tribus classibus*.pag. 104, tũ 4. *de tribus gra-*

dibus humilitatis. pag. 113. cum præludiis, & colloquijs, sicut supra est dictum ord. 1. die 4.

LECTIONES.

Lib. 2. cap. 8. *de familiari amicitia IESV.*

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

1. *De cœnâ ultimâ.* pag. 138. & 209. tum 2. *de mysteriis in horto.* pag. 144. & 210. dividimus hoc mysterium à sequenti, quamvis S. P. N. utrumq; coniungat, in 2. contemp. 3. hebdom. vide explanationem *de mysteriis & meditationibus*, pag. 181. tum 3. *Meditatio de comprehensione, & Annæ domo.* p. 211. tum 4. *de gestis in domo Caiphæ.* pag. 213.

Sequimur hic *subnotandum*, positum in fine tertiæ hebdomadæ ante regulas de victu, pag. 148. omisso repetitionum ac sensuum usu.

LECTIONES.

Lib. 2. cap. 11. *de paucitate amatorum Crucis IESV*: possunt iungi aliquot paragraphi ex cap. 12. eiusdem libri, *de Regiâ viâ S. Crucis.*

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

1. *De accusatione apud Pilatum.* p. 214. tum 2. *de transmisso Christo ad Herodem.* pag. 215. tum 3. *de reversione ad Pilatum.* pag. 216. tum *de condemnatione & crucifixione.* Pag. 217.

LECTIONES.

Lib. 2. cap. 12. *de Regiâ viâ S. crucis.* Item lib. 3. cap. 18. *quod temporales miseriæ, exemplo Christi æquanimiter sunt ferendæ.*

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

1. *De mysteriis in cruce factis.* pag. 218. tum 2. *de sepulturâ.* pag. 220. tum 3. Repetitio, quinque priorum meditationum de Passione. 4. Repetitio quinque posteriorum. vel, si malis, bis totam potes repetere: vide *subnot.* prædict. p. 148.

LE-

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 50. *Qualiter homo desolatus se debet in manus DEI offerre.* & lib. 4. cap. 8. *De oblatione Christi in cruce, & propriâ resignatione.*

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. De quartâ apparitione *Petro*, pag. 223. tum 2. de sextâ apparitione, *absente* Thomâ. pag. 225. tum 3. de septimâ, *præsente* Thomâ. pag. 226. tum 4. *de Ascensione.* pag. 232. Possunt, ut non semel dictum est, aliæ apparitiones substitui, etiam sequenti die, si plura libuerit de apparitionibus meditari.

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 21. *Quod in DEO super omnia bona & dona requiescendum est.* Item cap. 34. *Quod amanti sapit DEVS super omnia, & in omnibus.*

OCTAVO DIE.

MEDITATIONES.

I. De primo puncto *excitandi amorem spiritualem*, pag. 160. & 161. tum 2. de secundo, & tertio puncto. pag. 162. & 163. tum 3. de quarto puncto. pag. 163. tum 4. Repetitio totius.

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 22. *De recordatione multiplicium beneficiorum DEI.* & lib. 4. cap. 15. *Quod gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.* & cap. 17. *De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.*

SEXTVS ORDO

In quo assignantur meditationes duæ, de *fundamento*; sex, *ex primâ*; octo, *ex secundâ*; quatuor, *ex tertiâ*; & duodecim, *ex quartâ hebdomadâ*: cum aliis lectionibus *ex libello de imitatione Christi.*

PRIMO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De fundamento.* pag. 32. tum 2. Repetitio. 3. Exercitium secundum *de peccatis.* pag. 52. tum 4. Repetitio, cum tribus colloquiis. pag. 55.

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 9. *Quod omnia ad DEVM, sicut ad finem ultimum sunt referenda.* Item lib. 1. cap. 25. *De ferventi emendatione totius vitæ nostræ.*

SECVNDO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De pœnis peccatorum in lege gratiæ.* pag. 176. tū 2. *De vulnere in voluntate.* pag. 178. tum 3. *De peccatis venialibus.* pag. 179. tum 4. *De purgatorio.* pag. 180.

LECTIONES.

Lib. 1. cap. 23. *De meditatione mortis.* Item lib. 4. cap. 7. *de discussione propriæ conscientiæ, & emendationis proposito.*

TERTIO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De regno Christi.* pag. 70. tum 2. *De incarnatione.* pag. 76. tum 3. *De Nativitate.* pag. 81. tum 4. Repetitio duarum posteriorum. pag. 87.

LECTIONES.

Lib. 3. Cap. 11. *Quod desideria cordis examinanda sunt, & moderanda.*

QVARTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De duobus vexillis.* pag. 98. tum 2, *De missis ad prædicandum Apostolis.* pap. 202. tum 3. *De tribus classibus.* pag. 104. tum 4. *De tribus gradibus humilitatis.* pag. 113. de præludijs, vide in ordine 2. die 4.

LECTIONES.

Lib. 2. cap. 32. *De abnegatione sui, & abdicatione cupiditatis.* Item cap. 41. *De contemptu omnis temporalis honoris.*

QVINTO DIE.

MEDITATIONES.

I. *De condemnatione & crucifixione*. pag. 217. tum 2. *De mysteriis in cruce factis*. pag. 218. tum 3. Repetitio. 4. Applicatio sensuum.

LECTIONES.

Lib. 3. cap. 18. *Quod temporales miseriæ exemplo Christi, æquanimiter sunt ferendæ*. Item cap. 19. *De tolerantia iniuriarum, & quis verus patiens probetur*. Item cap. 56. *Quod nos ipsos abnegare, & Christum imitari debemus per crucem*.

SEXTO DIE.

MEDITATIONES.

I. De apparitione primâ *B. V. Mariæ*. pag. 155. & 221. tum 2. de apparitione secundâ *Mariæ Magdalenæ*. pag. 221. tum 3. Repetitio. 4. de amore DEI excitando punctum primum pag. 160. & 161. vide direct. cap. 36. de modo utendi hac contemplatione: & explanationem in eandem contemplationem: iuxta quam, si placuerit potius in fine huic contemplationi simul & semel, integræ vacare, licebit plures meditationes *de Apparitionibus* adhibere.

LECTIONES.

Lib. 3. Cap. 47. *Quod omnia gravia pro æterna vitâ sunt toleranda*.

SEPTIMO DIE.

MEDITATIONES,

I De apparitione decima *plusquam quingentis Fratribus simul*. pag. 229. tum 2. De apparitione undecima *Iacobo*. pag. 230. tum 3. de apparitione duodecima *Iosepho ab Arimathiâ*. pag. 230. tum 4. *De amore DEI excitando* secundum & tertium punctum. pag. 162.

LECTIONES.

Lib. 3. Cap. 48. *De die æternitatis, & huius vitæ angustiis*.

OCTAVO DIE.

ME-

MEDITATIONES.

I. De apparitione decima tertia *Paulo, Patribus in Limbo. &c.* pag. 231. tum 2. *De Ascensione.* pag. 232. tum 3. Repetitio. 4. *De amore DEI excitando* punctum quartum, pag. 163.

LECTIONES.

Lib. 3. Cap. 49. *De desiderio æternæ vitæ, & quanta sint certantibus bona promissa.*

Hactenus protulimus sex ordines *Meditationum* & *Lectionum.* Plures proferri possent: sed poterit quisq; eos sibi formare, atq; hosce mutare, prout placuerit; si fortè alio ordine maluerit uti: hoc tamen semper curandum in Lectionibus, ut liber sit *eiusmodi, qui pietatem potius nutriat, quam intellectum novitatibus exerceat,* sicut loquitur Directorium cap. 21. §. 2. quem locum juverit legere.

Quia vero ad Societatis nostræ homines dirigitur potissimum hæc APPENDIX, cum omnibus aliis explanationibus, omnes ad extremum, hortor, ut in libri Exercitiorum studium toti incumbant, neq; quidquam in eo contentum negligant. Nam quod aliquoties annotavimus, paucos esse, quibus integra Exercitia conveniat dari, de sæcularibus intelligendum est: at Societatis nostræ homines, saltem Scholastici, integrorum Exercitiorum ferè omnes capaces sunt: & si hoc Spiritu pleni fuerint, non aberrabunt à præfixo suæ vocationis fine; sed omnes suos labores dirigent

AD MAIOREM DEI GLORIAM

Finis Appendicis.

Eremitarum Calced... ...
Montes Regii